



0

FIDES ET CASTITAS.


CASP. BARTHI

EROTODIDASCALUS, SIVE NEMORALIUM LIBRI V.


AD HISPANICVM GASPERIS GILLI, POLI.

Cum Figuris Æneis.

HANOVIÆ,
Typis Wechelianis, Apud Danielem & Davidem Aubrios, & Clementem Schleichium,
Anno M.DC.XXV. A.a.



4


115000
B.T.



Amico Lectori.



Nnus nondum integer præteriit, cum de Conditoriis noſtrorũ theſaurorũ Cæleſtinã tibi Tragicocomœdiam, librum uſui vitę nunc-humanæ, commodiſſimum, promſimus; translatum quidem de Hiſpanico ſermone, ita tamen translatum, ut vel ipſius Auctoris operam interpretis ſtudium videri poſſit præcellere; quo ſanè judicio à ſummis & verè litteratis viris exceptum eum Commentarium eſſe & ſeculo & nobis gratulamur: Seculo, quia exinde Juventus dubio procul diſcitura eſt,

quæ de paucis aliis ſcriptis; nobis, quod ille inſignis tantorum Procerum favor, animum nobis ſufficere adorſus eſt, ad merita in Rempublicam, jam exſtantia, meritis ſubinde ſuccreſcentibus augenda. Poſt expeditum igitur Adverſariorum immenſum opus, quo omnis Litteraturæ honos illuſtrari cæptus eſt, redimus paullum ad eas Veneres noſtras, & hîc tibi damus Erotodidaſcalum noſtrum, quo Gaſperis Gilli Poli, Dianam Amore percitam, ut Hiſpanicè loquitur, Latinis numeris ſuperare contendimus. Libellus eſt à nobis inter Mileſiarum noſtrarum ſilvam repertus, & eidem exemtus, quia prolixior videbatur, quam ut unius, licet jucundiſſimæ recenſionis Hiſtoriâ concluderetur. Egregia vero compoſitio eſt, & quæ ſi

Græco

Græco Latinove ſermone ante aliquot hęc ſecula concepta fuiſſet, dubio procul cum principibus ſcriptorum amabilium cenſeretur jam olim. Monita inſunt inſignia, & ex medio rerum uſu petita, quæ palmam merito omnibus aliis eripere cenſentur. Scopus ipſe libelli minimè turpis aut fœditatis conſectator eſt; quo vitio non pauca, etiam Antiquorum, ſcriptorum monumenta verè prudentibus ſordere debent: Hiſtoriæ obiter recēſitæ, nullâ prorſus obſcænitate, multâ verò Venere, artificiosè & ſuaviter, ne juncturam videas, intextæ. Procul omnis ſermonis & alluſionum, quæ vernilitas dicitur, reipſa autem laſcivia eſt. Carmina faventibus adeo Muſis & Gratiis nata, ut horum inventiones potiſſimùm omnis memoriæ artifi-

cibus, hoc quidem in genere, oppo-
nere velim. Tota materies, exempla
morum, & adfectuum ſunt compo-
nendorum, ad eam Philoſophię par-
tem referenda, licet diſſimulent, quę
præſcribit talia velut ſub depictis A-
nimorum inſtituendorum Chara-
cteribus. Quæ me cauſſa etiam mo-
vit, ut, cum Divinarum Conſidera-
tionum aliquot libros meos jam pa-
ratos Editioni habeam, eosq; proxi-
mâ fœturâ communi bono ſim ex-
cluſurus; non dubitem Amatorium
hunc Luſum, (qui in ſeria mirifico
acumine inſtructionum ducit) vel
cum ipſis, vel juxta ipſos emittere;
quamlibet enim illæ, mortalibus re-
bus prorſus extractæ, Meditationes,
in hoc, aliiſque talibus ſcriptis, non
ſint: omnis tamen Venus harum
narrationum ſubtiliori Lectoris a-
cumine,

Juxta elegan, ter pro, post

cumine, quod toties flagitat ſcriptor, ad eumdē ſcopū referri debet; ſcilicet ut conſideret Vanitatem omnium Humanitatis negotiorum in irritis Curis & Laboribus, Vitæ ad Voluntatem dirigendæ; cum Benignitas deſuper divina omnia agat atque adminiſtret, & vota Bonorum, benè & bono fini deſtinata, nequaquam irrita habeat; ſed ignaris etiam, & contranitentibus prorſus, mortalibus, ad eum ducat terminum, in quem conveniunt Juſtitia & Clementia: Sic Regali adfectu, adfectuum omnium principe, quique ſummis hominum æquè, & potius quidem etiam, atque inferioribus, imperat, Amore, propoſito, docent hoc genus cordati & ingenioſi Scriptores, omnia in vanum niti, quæ citrà Æquum Piumq; agant in

vitâ, etiam potentissimi mortalium; neve quicquam adscribant suis effectibus; hunc etiam divinæ manuductioni commendatum esse: unde clarissimè concluditur, nullius Libidinis injustæ bonum felicemq; esse eventum; nec ullius veri Legitimiq; desiderij contrarium; ad quod demonstrandum etiam divinam Sacerdotis alicujus opem, figmentis decentibus involutam, ad ultimum asciscunt; narrationibus luculentis interserentes Pœnas denique obscænarum & injuriarum cupiditatum: quæ, cum eò ducentibus, & hinc subnascentibus, documentis plurimis, amabilibus & egregiis, inveniet prudentia Lectoris in hoc Opusculo nostro, si in alio quoquam, eâ dexteritate & copiâ, ut non sine Gratiarum, etiam divinarum, afflatu con-

scriptum


ſcriptum eſſe, ultrò, poſt repetitam lectionem, confeſſurum exiſtimem. Ego quæ in ſermonem meum contulerim, ab aliis æſtimari, quam à me commendari, inſtituto ingenuitatis meæ perpetuo, malo; hoc tamen ſummâ candoris ſimplicitate affirmavero; minimè inclementem judicem operæ noſtræ futurum qui ſimile ipſe aliquid tentaverit; Arbitria verò naſutorum de vulgo hominum, quæ plerumque de iis ſolum feruntur, quæ tanti ſupercilij cenſores doctius cõtemnunt, quam intelligere diſcũt; ideo nequaquam attendimus, quod ſciamus ea tantum ab iis vituperari ſolere, quæ æruginem aut pulverem non ſapiunt de trivio, quibus illi in deliciis omninò citra invidiam noſtram deliciabuntur, quamdiu volent; nec ullis

nos deterrebunt vitioſis oblocutionibus, quin curſum noſtræ virtutis decurramus, bene-merentes de Republicâ meliorum mortalium, quãdiu inter eos vitam habituri ſumus. Ea deſtinatione, poſt tot alios, & hunc modo elegantiſſimum libellum publicamus; daturi mox & Mileſias, & Dianam Georgij de Monte-Majore, Orcheſtram Gratiarum, Epigrammatum Urbanorum & Politicorum libros; & fortè cum iis; vel & antè, Hierodidaſcalos Quatuor, vivæ Theologiæ, & veræ Sapientiæ non Doctores minus, quam Commendatores; quorum ſunt argumẽta, OCULUS Animi, FONS Vitæ & Deſideriorum, De Serenitate Animi in DEO, De Charitate Divina, Tractationes, quibus videbit Lector ad quas Muſas referamus Studiorum noſtro-

Curſum vir- tutis ſuæ de- currere.

noſtrorum ſummam, &habebit unde melioribus ſe dedicet inſtructiorem. Deus Optimus Maximus, cujus immenſa in omne genus hominum Clementia eſt; quo animo hæc & noſtra omnia publico dantur, eo excipi faciat, ad Salutem Animarum, quæ legent, & ipſius Æternam Gloriam.

Unde



Erra-


ERRATA Operarum.

Pag.6 *ærumnarum.* 11.*damnis se semet atrociss.* 13 *projiciant.* 14. *momine in uno.* 18. *Asper Amor fastui vi vindicis.* 25. *Amor ille quem tantæ.* 28. *voluisti.* 33.*quam meliore.* 42. *quam dum tibi gratificor.* 50.*scapham nave depulit.* 81. *ipsa verò se ad sese.* 86. *quo coquitur.* 116. *velim severæ.* 133.*convenissent.* 139.*invitata amœnitate.* 143.*proximarum.* 152.*fertileis celebrent.* Ibid.*generosus.gestuum.* 161. *mutuô conspectui.* 163.*tam atrox.* 192.*siguiente.* ibid. *traducida.* 216. *præsente.* 255. *opus erit ut nosmet.* 257. *cantione quâpiam Dianæ prop.* Ibid. *Debebam*-- Dele hunc versum, & substitue istum:

Debebam visâ sine te mori ego, mea vita:

271.*consentientium.* Ibid.*Adamantes.*278.*domûs ubi degit.* 280.*Lugdunensis:* lege, *Leonensis.* 282.*miracla.* 284.*consitæ*, l.*censitæ.* 289.*assuetudine.* dele punctum. 300.dele vocem *notatæ.* Ibid.*brachia.* 314.1. dele vocem *fecerim.*
Neglectę sunt & alibi interpunctiones, sed faciles corrigi.





C. BARTHI. NEMORALIUM LIBER PRIMUS.

I. ANIMORUM DISCRUCIATIO.

POsteaquã ærumnosissimus mortalium Sirenus virtute potentis illius aquæ, ope Feliciæ, è manibus Cupidinis in libertatem assertus est, Amor consuetas suas artes continuans, denovo feriit cor miseræ Dianæ, resuscitando penes illam jam penè exoletas flammas, ut de liberâ faceret captivam, de hilari, omnibusque molestiis vacuâ, non minus obnoxiam doloribus. Quod verò magis etiam miseram adficiebat hoc erat scire eam, negligentiam Sireni suam, causam ejus esse oblivionis, quodque despectam illam penitus jam abhorreret. Hac doloris face, aliisque quamplurimis tam erat concussa, ut nec conjugii jus, nec fræna Pudoris sufficerent vel retinere eam, quin furiis Amoris transversa raperetur, vel pacare ullo

ullo modo infandam tormentorum asperitatem: Hinc illa, lacrymis & lamentis suis quotidie instando, durissimas petrarum cautes, ferasque sylvestres planctibus suis admollire satagebat. Sic aliquando ad fontem PLatanorum profecta, die æstivâ, medium jam cœli spatium Sole tenente, recordata suavissimæ cum Sireno suo quondam conversationis, comparans præteriti temporis gaudia cum præsentium rerum infelicitate; simulque agnoscens maximam malorum suorum caussam ex suapte oriundam imprudentia, tantos pectore tristitiæ æstus concepit, animamq; iis affecit cogitationum angustiis, ut fieri non posse existimaret, quin, tam penitus acerbissimorum dolorum affectus consequens, optatissimum tamdem ærumnis finem, desiderata mors, impositura esset. Verùm postquam amissas suas vires animus aliqua ex parte recepit, tāta fuit vis dolorum, tanta potentia furorum, quibus in intima ipsius viscera Cupidinis Tela regnabant, ut cogeretur infelicitatis suæ fabulam circumvolitantibus recensere aviculis, quarum simplicitas, modò commeantium, mo-

PLatanos malui quam aliam arborem quamvis, Romano ejus studio.

dò in viridibus nemoris arbuſculis per denſa ramorum ſpatia conſidentium, tanta, tamque optabilis aderat, ut placidè ſeriem querelarum audire, condolore quin etiam malis, & alteri altera ea narrare velle viderentur. Adjuvabat pro parte & argentei fontis ſuaviter cadens admurmuratio, quam cãtibus, ex imâ animâ oriundis, ſuccinere, vicariamque operam queſtibus prǣſtare poſſe, amore victum pectus cenſebat. Sic igitur ad ſambucæ ſuæ temperatiſſimum ſonum cantitare exorſa eſt.

Affectus miſeri, quaq; ærumnabile, Cura,
Excoquit in penitis cor mihi pectoribus.
Ad finem hunc egêre meos, furialiter, æſtus,
Solari ut queſtus queſtibus incipiam.
Ah dolor, ah moriens infauſto, Spes mea, Amore,
Oblito noſtri jam immorimur puero!
Ah quæ mentem animi fugientem vix retinendo es,
Vt culpâ e noſtrâ, Pœna, oriunda mihi es!
Ah cum me cuperet cur tot mala tũ intuli ego illi,
Quot modo ego, illius pro vice, ſuſtineo!
Quando crudelis ſubit illa ferocia mentem,
Quæ ſimplex fuerat fit mihi, Pœna, duplex.
Quod ſi fortunæ, non Culpæ, res ea noſtræ,
Aut foret adverſum non leve Amoris onus.

Con-

Conquererer merito; mea nunc me perfida torquet,
Acta retro in mea mî tormina, Durities.
Non ego Vindictam fastosi noveram Amoris,
Fortunæ varios non ego, cæca, gradus.
At numquam tali talem vice, Sorsve, Cupidove, Pro tali ratione.
Vlti sunt, ullo tempore, stultitiam.
Ah, Sirene, tuos, Rhamnusia, ut ulta dolores
Desertam absque omni consilio excruciat!
Scilicet ut, cum me quondam visurus adesses,
Damnavi, aversâ, sæpe ego te facie,
Sic cupidam vestri perpes jam absentia torret;
Quærere ego numquam desino, tu fugere.
Tali deseruisti ægram me pectore, nemo
Reddere uti nostris te velit auspiciis:
Quin suadere omnes, deceptus decipias me,
Vno, omnes malint, carmine, Ruricolæ.
Et vel decipias; oculos saltim huc, age, flecte,
Vt videas nostros diffluere in lacrymas.
Aspice nil habeant quanti sperare dolores! Nihil habeo sperare.
Ah vindicta tui vel tibi sic placeat!
Ipsa uti te numquam possim placare; iuvabit
In desiderio præpete posse mori!

Non finiisset tam cito suavissimum modulamen Diana, nisi de vepreto proximo, invisa ipsi, erumpens puella, filum simul can-

tionis interrupisset, & ipsam pudore non inamabili confudisset, timidā videlicet ne ærumrarum suarum series propalesceret, audita cantione tam affectuosa, Præcipuè cum ex habitu puellæ perspiceret, peregrinam eam esse & in illis oris nequaquā ante hac visam. Verum ipsa, quæ, cum procul tā dulcem Musicam inaudisset, eo fine clam appropinquarat ut melius, quid rei esset, intelligeret, ea ubi carmina tam miserabilium querelarum comperisset, tantam improviso superventu suo excitavit, (ut pote formosissima, habituq; & specie tā gestuū quā corporis, nulla indigenarum inferior,) claritatē, quantā Luna solet, cum fulgidis radiis tenebras nubium obfusarum dispescens, nitido lumine terrarum orbem aspexit. Videns verò Dianam insperata sua præsentia aliquantum turbatiorem, gestu alacri vocem suavissimam gubernante, ita illam allocuta est.

Formosissima puellarum, grande præjudicium Voluptati meæ feci, quâ mulcebar delicatissimā vocem tuam audiēs, cum te, ita ex improviso comparens, interturbavi, incivili prorsus audacia. Verùm non nostra hęc est culpa, sed acerrimi desiderii cognoscendi

ſcendi te, & pro parte mea dandi aliquod ſolatium malis tuis, quæ ad tantæ triſtitiæ lamenta te adigunt. Quæ cujuſcunque etiam ponderis atque diritatis ſint, nequaquam ex veritate cenſet, qui leviora fieri poſſe alloquiis hominum extraneorum, & minimè ſtudiis occupatorum, negabit. Non celes, rogo, ærumnas tuas ſtudioſiſſimam tui, neu diſſimulare Nomen & fortunas tuas velis, neque enim minoris exinde te æſtimatura aut levioris, ob acerbitatem in Amore ſucceſſuum, factura ſum. Audita hac compellatione, Diana, paullum ſilentio immorans, oculis fixa in ſummam Puellæ ſpecioſitatem, mentem autem verſans dubitatione quali reſponſo tam præclari officii oblationem remuneraretur, ad finem tamen hoc ſermone reſecuta eſt. O inuſitatæ & ſingularis non ſpeciei minus, quã nobilitatis, puella, ſi maxima voluptas quam de tuo cõſpectu conceptam habeo, & allevatio de malis meis, quam dulciſſimę mihi voces tuæ pollicentur, in pectore meo vel tantillum fiduciæ reperirent, poſſem perſuaderi aliquo modo egregiam tuam volũtatem triſtiſſimis meis affectionibus reme-

NB:

Tacere.

Vel tantillũ.

dium præbituram. Verùm morbus hic noſter ita conciliatus eſt, ut ſimul ejus vel ſola memoria mentem ſubeat, illicò cor meum, obtruſo velut peſſulo, januam omnibus remediorum auxiliis præcludat. Scias, ô dulciſſima, nomen mihi eſſe Dianæ, per has regiones haud ignobili: Et nomine quidem contenta, malorum meorum ordinem, rogo, ne inquiras, neç enim quicquam aliud conficies, quam, reſcitis illis, ut condolentiâ tuum cor fatiges, videns tenerrimam meam ætatem tantis tormentis excruciari. Hæc ipſa illa deceptio eſt, Puella reſpondit, cui ſe illudendos dant quæcunque Amoris ſeſe ſervitiô addicunt. Quippe, principiò, cum in manum impuræ illius belluæ veniunt, tam repentè illi mancipantur, ut neque liberę eſſe deinceps cupiant, neque poſſibile ipſis videatur poſſe, tam arctum dominium evadere. Optimè novi morbum tuum Amorem eſſe; quod cantio tua manifeſtè edocuit, cujus quidem penes me magna eſt experientia. Multos ego per annos captiva illius fui, nunc vero liberam me, mihique reſtitutam, agnoſco; palabam cæca, nunc viam Veritatis conſpicio; Tranſmiſi in Cupidinis pela-

go

go periculosissimos scopulos, nunc, in portum securissimum evecta, mihi gaudeo. Quicquid te afficit, meum quoque animum vexavit; non maiora te mala fatigant, quam me excruciarunt. Ego remedium inveni, tu ne exturbes velut domo tuâ spem meliorum successuum, ne claudas oculos contrà Lucem Veritatis, neque aures sermonibus nostris obtures. Verba erunt hæc omnia, nihil, inquam nisi verba erunt, frustrà aerem ferientia; Amoris ægritudo his non curatur, respondit Diana. Verum suprà omnia scire nomen tuum cupio, & quâ fortunâ in nostras has regiones veneris, dum hæc narras videor imperare mihi posse, ut pausam interim dem institutis meis planctibus, quibus solis inesse aliquid allevandis torminibus meis sentio. Tum Puella. Nomen meum Alcida est, quod verò porro scire desideras nunc enarrare non patitur ingens condolentia, quam in voluntarios tuos dolores gero, neque quicquam prius reconsitura sum, quam remediis à me oblatis manum dederis. Qualecunque, Diana respondit, consilium tuum, displicere mihi non poterit, quia de te proficiscetur, quamquam certò sciam parum

malis meis profuturum, quæ nequaquam me relinquent, quin penita viſcera mea in fruſta dilaceraverint. Et ſi maximè tale quid, quale tu ſpondes, effici poſſit, numquam ego tamen Amores meos deſeram, nec umquam deſinam deſiderare illum, qui, neglectus olim abs me, tam præſentem vindictam mihi inpingit. Tum Alcida. Majorem nunc de Salute tibi reſtituenda fiduciam capio, quoniam confiteris, id, quod nunc tantoperè deſideras, ſpretum abs te olim neglectuiq; habitum fuiſſe. Eſt enim inter hæc duo, Amare, & abhorrere, mediũ quiddam, quod omnimodis tibi eligẽdum reſtat. DIAN. Sanè pulcrè me afficit conſilium tuum, ô dulciſſima, verum nõ admodum mihi tutum tale quid videtur. Namq; ſi ego à Contemtu ad Amorem veni, & ab infimo uſq; ad altiſſimum rapta ſum, quid me fiet, ſi propiorem me potentiſſimo Cupidini collocare, remoto jam à Contemtu gradu, inſiſtam? ALC. ne quæſo tam magno honore eum digneris, qui tam planè nullum meretur: Potentiæ ei titulum adſcribendo, qui tam nullo negotio ſuperabilis eſt, præcipuè iis, qui, quod dixi, duorum extre-

extremorum illud mediũ ſequi elegerint. In hoc quippe ſolo firma virtus conſiſtit, quæ quorum pectora occupat, illi, contra Amoris furias fortia, Conſtantiâ mirificâ omne ejus tormentorum genus contemnere poſſunt. DIAN. ne tu mihi Fortia aut Conſtantia talium hominum pectora dicas: Crudelia, Dura, Fera, Immania, ſunt, quippe quæ contra ſuam ipſorum Naturam pugnare, & inſuperabili Cupidinis ſeſe potentiæ opponere præſumant. Verum ſint ea quæ velint, ad finem videbunt damnis ſe ſuis atrociſſimis induiſſe, auſa tanti Numinis iram in ſe vertere, neque Duritia ſua tales homines ad extremum quicquam juvabit. Tanti enim affectus violentia omnia contra-munimenta pro nihilo habet, neque ullis objectis impedimentis diſtinetur, quin quod velit, efficiat. Et de hujus quidem miriſſimis viribus, & potentia inſuperabili, memini in hoc ipſo loco quondam ſuave melos pangere Sirenum illum meum deſideratiſſimum, tum quidem cũ tam dulcis mihi foret memoria ipſius, quàm modo amara obvenit. Memini autem memoriter verba ipſa cantionis, cum infinitis aliis, ab ipſo tũ

compositis, studui enim magnoperè semper ne quid ab eô profectum memoriâ mihi excideret. Hoc verò carmen Virtutem Potentiamque Amoris describens, in hæc verba conceptum est.

AMORIS POTENTIA

Luminibus captus, penitissima pectora, certô
Tangere, telorum fulmine, novit Amor
Est Puer, & sævum vicit vinxitque Gradivum
Retia materno dum struit apta toro.
Igne, gelu in medio, timido mihi, pectora fregit,
Rex Amor est terrarum, Aëris, & Pelagi.
Terribilis pueri præsente, Potentia, morte
Inque atro festum Carcere dat Genium.
Capta anima hâc virtute, suorum oblita malorum,
Tanti admirando Numina, Læta, Dei est.

Optimè sanè, ALcida excipit, in Amorem affectus fuit auctor huius cantilenæ. Verum ego majorem adhibuerim fidem Sireno isti, si, post evulgatas tam admirãdi Numinis Virtutes, non invenisset modum captivitatem eius fugiendi, neque remedium, quo mentem, ab eo victam, libertati prælatæ restituisset. Teque certè simplicitatis admiror, quæ tam facile credas, illius dictis, qui abs se verbis prolata, opere ipso tam egregiè confutet. Profectò oppidò manifestum est tales cantiunculas Moris ergò,

ergò, proque fabellis excogitari & celebrari ſolere, quibus Amori ſervientes homunculi ſolent de malis ſuis miranda confingere, velut per ludum, cum paullo poſt, nullo negotio, ſtrictiſſimas illas compedes projiciunt, & in libertatem ſeſe, quam pro amiſſa tantis planctibus proſecuti ſunt, recipiant, ſubeatque illos, vice ardentis illius Amoris, vel frigidiſſima Oblivio. Quod ſi tormenta quædam amantes patiuntur, ſuôpte ipſorum certè ex arbitriô patiuntur, non ex vi affectus illius. Amor quippe nihil eſt præter imaginationem quampiam fictitiam, hominum mentibus verſatam, Res quæ neque in cœlo neque in terra ullibi eſt, imago ſolum in pectore illius qui eam deſiderat. Cui ſi vis quædam, aut potentia, ineſſe dicenda eſt, de voluntariâ hominum ſubmiſſione ea provenit, qui ſe ſponte imaginationibus ſuis devinci patiuntur, Offerentes ipſi ultro corda menteſque ſuas, eumq; dominum affectibus ſuis, datâ in manum libertate, imponentes. Ipſa autem hæc tam ſuavis Sireni tui cantio ne ſine reſponſione tranſierit, eccam tibi alteram, adverſariam velut iſti; Ego quidem illam, jam olim eſt, cum in Campis Sebethi

cantari audivi à pastore quôpiam nomine Aureliô; sique satis memini, hæc est.

Cæcus Amor non est, sed ego; qui sponte dolorum
Induo me, nullâ cum Ratione, plagis.
Non Puer est, sed ego; possim qui nomine in uno
Risu, Spe, Lacrymis, atque Pavore, mori.
Est furor Ignem in Amore agnoscere velle; Cupido
Affectum in flammas, mente calente, rapit.
Aligerum dicis? pennas speculatio celsa,
Spesque, vagâ titubans credulitate facit.
Nulla, Amor, arma tenet, nisi queis armabitis ipsũ
Stultitiam quisquis non capis ipse tuam.
Figmen, Amor, Vatum & fatui Larvatile Somni est,
Prodigio è quali sit Deus ille, vide!

Videturne tibi, Diana, imaginario tali figmento spes tuas, tali ingenio puellã, te credere debere? Et quæ Ratio est pro vero Numine adorare velle ex meris rem mendaciis compositam, qualis Amor reapse est? Fictus ille est à vanis ingeniis, veneratus à turpibus desideriis, servatus, in memoriam libidinum suarum, ab hominibus otiosis, & bonarum rerum incuriosis. Hi sunt illi, qui tã egregio Numini celeberrimum hoc per orbem Terrarum Nomen dederunt. Quippe videntes, mortaliũ curas boni alicujus potiundi

tiundi gratiâ nihil nō malorum pati, insultationes, dolores, Timoreis, sollicitudines, Suspiciones, Alterationes, aliasq; infinitas animorum corporumq; affectiones, cōsensu quodam fontes tātarum miseriarū scrutati, principalem omnium hunc affectū invenerunt; cui, cum omnis generis hominibus cōmuni quodā dominaretur imperio, divinam potentiam adscribere voluerunt, qui videlicet ab omnibus æquè coleretur, & timeretur. Itaq; tali eum figurâ pingere cœperūt, ut omneis qui imaginē ejus videant bonâ ratione abhorrere ejus opera possint: Pinxerunt ipsum puerum, ut ne quis cordatus illi credere velit. Pinxerunt cęcū, ut nulli sequendus clareat. Arma ipsi affinxerunt, ut timere crudelitatem ejus omnes habeāt. Flāmas, ne quis prope ipsum accedat; Alas addiderunt, ut nemo non vagum, vanum, levē, agnoscat. Nondū intelligis, ô suavissima, quam Potentiam, quas vires Amori homines, decepti Idolo, adscribere soleant, ejus esse, aut ad eum pertinere nequaquam posse? Prius certe cognosces, quam magis illius vim prædicent, eò magis nos futilitatis & fatuitatis eosdem arguere? Certè dicere Valentem esse Amorem, judicium in nobis debile perhi-

bere eſt, quod tam facilè Rationem tam turpi monſtro ſubmittat. Celebrare Amoris venenatas & mortiferas ſagittas, quid aliud eſt, quam puſillanimitatis nos convincere, qui fatuo adfectui penetralia cordium incendenda velut obiiciamus? Dare Amori eas vires, ut animam noſtram captivam ducere in cuſtodiam arctiſſimam aſſeratur, aliud nihil eſt quam damnare noſmetipſos ignaviæ, & vitiati intellectus, qui ad primum congreſſum, armis abiectis, hoſti nos dedamus, ſæpè etiam extra pugnæ periculum ultro in caſtra ipſius tranſeamus. Ad ſummam, omnia illa mirifica carmina, quæ de hujus facinoribus narrantur, nihil ſunt, præter opprobria ſtulticiæ, & ignaviæ mortalium. Et poſito, talia ipſius eſſe potentiæ, facta tamen omnia Amoris minimè eius ſunt æſtimationis ut ullam laudem mereri debeant. Quæ Magnanimitas eſt aggredi illos qui ultro vinci ſe cupiunt? Quæ audacia, eos depugnare, qui, ignaviâ animorum, defendere ſe non valent? Quæ fortitudo, ferire non repugnaturos? Quæ nobilitas animi, interficere deditios? Quod Laudis meritum, ludentes armis disjicere? Quod magnificum faci-

nus,

hus, infelices perſequi? Certe, formoſiſſima mi puella, illi qui tantopere dictis ſuis magnum facere Cupidinem iſtum ſtudent, quique tantis ſuis impenſis ipſi ſerviunt, aliis omnino titulis eum laudare debebant, ut honorem ejus aliqua in parte comiter ſervare voluiſſe videri poſſent. Quippe major & melior horum, quæ facinora ipſius modo recenſuimus, pars, arguit puſillanimitatem in aggrediendis, crudelitatem in conficiendis, vanitatem in conſiliis, effuſum in damnis, parcum & ſtrictum in dandis præmiis. Et, quamquam hæc non magnopere videantur exiſtimationem ejus augere, peiora tamen convicia etiam ſunt, quæ quotidiè à propriis ipſi ſuis mancipiis occinuntur, qui Ignem, Flammam, Furorem, quin præſentem ipſam Mortem, indigitant. Amare ipſum, cremari, ardere, conſumi flammis, differri tormentis, dilancinari cruciatibus, audit. Inſuper infatuari, combruteſcere, Ipſi ſe cæcos, miſeros, ærumnoſos, furioſos, incenſos animi, in cineres jamjam conceſſuros, autumant. Hincque fit, quod nemo fere ſeſe excipiat quin de Amore conqueratur miſerrimis modis, diffamando ipſum

pro tyranno, proditore, bruto, diro, fero; & prorſus immemorabili, monſtro. Omnes amatorum verſus pleni ſunt doloribus, cõpoſiti in ſuſpiriis, bullantes lacrymis, & cum morticinis gemitibus decantati. Iſtîc videbis Suſpiciones; iſtic tremores, iſtic deſperationes, ſollicitudines, angores, mille genera horribilium pœnarum. Non recenſetur illic quicquã, ſine mortibus, catenis, compedibus ſagittis, venenis, flãmis, aliiſq; infinitis tormentorum & cruciatuum inſtrumentis, ut in experiendo Amore nihil invenias præter dolores, in nominãdis eius rebus omnia timore nos concutiant. Optimè ſentiebat de his titulis Herbanius, inſignis inter paſtores apud Andoloſiam, cum in corticem alni aliquando, me præſente, pro calamo, acuto utens pugiunculo, hæc delinearet carmina.

Non ad ſumma aſpirandum.

Qui ſapit incantâ numquam à ſe mente recedat,
Libertas uno momine rapta viro eſt.
Celſa animi virtus medio ſe tramite ducat,
Imminet elatis flamma cacuminibus
Aſper Amor, faſtus, vi vindicis, imminet, ira,
Hoc ſine qui ſperat vivere, diſperiit.
Mortiferi, damnat me libertatis, Amoris,
Flamma; perit centum prodita, Vita, modis

Devo-

Devoveo vestra arma, Ignemq; Arcūq; Catenasq;
Incendis, Vincis, me quibus, & Perimis.

Eat nunc cantio Sireni tui docere me, considerationem Facinorum Amoris posse superare furias cruciatuū. Namq; si res gestæ ipsius sunt occidere, vulnerare, excæcare, concremare, consumere, Libertate exsuere, Tormentis mille induere, nūquam mihi persuadebit considerationem Pœnarum oblivionem passionum inducere; quin cōtra potius est majora dare animo tormina, quippe altius cordibus impressam, & profundius in mentibus sedes cruciatuum figentem. At si tu pro veridicis habes illos Sireni versus; mirificè mihi mirum est, quod, tantum de his cogitationibus refrigerii percipiens, tam facilè illas mutarit in Oblivionem tam crudelem, quæ modo ipsum tenet; quâ non solum tantas Virtutes Amoris planè à se semovit, sed etiā cum iis memoriam pulcritudinis tuæ, cujus ipsum subire saties non debebat, etiam contra omnia bona quæ universo terrarum orbe commendari poterant. Vix finierat ultima sua verba Alcida, cum Diana, elevatis oculis, quos cogitabunda alioquin humi fixerat, videt conjugem suum,

Delium deſcendentem de colle proximi monticuli, iterque flectentem verſus fontem Platanorum quo loco ambæ conſederant; itaque, compeſcendo curſum orationis Alcidæ, ſiſte, ait, ô ſuaviſſima inpræſentiarum iſthic ſermonem, tempus poſteà erit reliquum auſcultandi, & reſpondendi ad argumenta tua, futilia certe, & confutari facilia, Eccum illinc maritum meum Delium, de iſtoc colliculo ſeſe appropinquantem, opus erit diſſimulare paullum quæ hîc tractata ſunt; ordiamur alias inſtrumentis noſtris cantiones, ut cum aderit, delectetur Muſicis noſtris exercitiis, Cum dicto capientes, Cytharam Alcida ſuam, ſuamque Sambucam Diana, cecinerunt ad illas iſtam cantilenam.

ALCIDA.

Interim dum Sol mediæ diei
Imminet flammis, radios potentes
Explicans contrà, rapidoque mundum
Lumine torrens.

Fontium umbrarumque petunt receſſus,
Caſta gens Nympharum, in opus cicadæ
Carmina agreſtum meditantur, unis
Nexa querelis.

Gratiis, formoſa Amarylli tantis

Con-

Concinis, Cælorum uti Rex volantum
Aridis det ſponte liquentem in arvis
Deſuper, imbrem.

DIANA.

Dum PLanetarûm mediâ arce Cæli
Conſtitit Princeps, Orientem, & altum
Inter Occaſum, per aprica Camporum,
Agricolentum
Ardidis torrens radiis Labores:
Rivuli ad blandum properantis augmen
Dulcibus tali fidibus Lepore
Theſtilis inſtat.
Vt refrænato rabidæ tumultu
Suavibus, ventorum Animæ, ſuſurris
Mulceant auras, lepidamque vatem
Leniter adflent.

ALCIDA.

Vis, celer curſu, vitrearum aquarum,
Induens annum ſine-fine-vere,
Littus in floreis varios coronans,
Perpete cultu.
Nec gregum appulſus vada limpida auſit,
Nec Calor Solis temerare veſtra,
Neu ſaporatas peregrina turbent
Flumina lymfas:
Nec ſuper ripas lacrymoſa nectens
Carmina, infelix, liquidas, amator,

Fletibus salsos in aquas dolorum
Depluat imbres.

DIANA.

Floride ô pratorum honor ô colorum,
Mille quem Natura lepore pinxit,
Arborum & florum variate, mixtim,
Dulcibus umbris.

Vt tuis numquam mala flabra ramis
Auferant cultus, nova semper ex te
Floreas, augens decus, & perenni
Fulgure ridens!

Ne gelu, ne te calor, urat umquam,
Nulla te irati spoliet decore
Fertilem cæli rabies, iniquo
Sidere torrens.

ALCIDA.

Turbidos Aulæ fugiens tumultus,
Cordis huc puri Sapientia, in se
Suave secedit, hilarique laxat
Otia Paci.

Hic juvat dulces resupinum in umbras
Corpus optato, sine lite, somno
Lenis ad rivi strepitum, remotis
Ponere Curis.

Vividum hic florum sata, nectar halant,
Concinunt blandùm volucres; perenni
Ordine exultant, juga, prata, campi,
Numine dextro.

DIANA.

Hic, nemus blando quatiens susurro,
Ventus, illudens foliis apricis,
Suavior multo gravidæ tumultu est
Vrbis, & Aulæ.
Vanitas est magna, superba Pompa,
Vulgum adorantis, Popularis Aura,
Magna tempestas animorum honores,
Cæcaque Pestis.

8.
VANITAS HONORIS.

Honor.

FALSIMONIÆ.

Cor ubi contrà sapit oris orsa,
Mens procul verbis animum reducit,
Vota sunt contraria, cassa sensus
Dicta refutat.

ALCIDA.

Ambitus non hic sua retia abdit,
Non sitis mentem mala torquet auri,
Nemo se hîc celso cupit eminere
Vertice cunctis.
Non fames jura hîc pretiis subhastat,
Libera à fraudum pia Corda technis
Simplices arteis adamant, malum omne
Iustitia aufert.
Aequitas lex est generosa Vitæ,
In bonam concors mediocritatem;
Vivere hæc rectè facit atque honestè
Candida corda.

DIANA.

Simplici cultu bona Ruris augens,
Non mare horrendum rate Paſtor, intrat
In novos orbes, uti mille damnis
Ditior exſtet.
Pauper herboſo brevitate cenſus
Lætior, campo ſua vota claudit,
Quam peregrinæ cui mille merces
Lucra reportant.
Vitâ in anguſtâ eſt hilaris Voluptas,
Suavior quam cui juga mille Tauris
Verſat, & denſas gregibus fatigat,
Copia, caulas.

E longinquo vocem conjugis ſuæ, Dianæ, agnoſcebat Delius, cumque aliam indidem ei reſpondere audiret, properabat magnâ curâ accedere viſurus quo cum tã familiariter verſaretur; itaque non longè à fonte, pone grandem myrtum, conſiſtẽs, auſcultabat quid boni canerẽt, ex occulto, zelotypis ſuis, de more, litigiis, novas cauſſas quærens. Verum cum aliam carminum materiam eſſe, quam ſuſpitioſis ſibi præſumtionibus ſuis perſuaſerat, perciperet, animum relaxabat. Verſus ergo in grãde deſiderium cognoſcendi puellam Dianæ ſuæ præcinentem, ſepoſitâ morâ, illas prope

prope accedit. Viſum illæ civiliter admodum ſalutant, præcipuè Diana ut decebat maritum ſuum, pluſquam credibili quadam ſuavitate arriſus, excepit. Cumque juxta conſediſſet, Alcida ad illum. Multum fortunæ benignitati me debere fateor, Delie, quæ non ſolum inſignem illam Dianæ pulcritudinem oculis meis non invidit, ſed & illum colloqui conceſſit, qui tam ingens bonum in poteſtate ſuâ volente quidem illâ, habere meruit. Ut enim illa inuſitatæ, non magis ſpeciei quam Sapientiæ, eſt, fieri non poteſt, quin ille ſit omnibus & naturæ morum bonis excultiſſimus, quem maritum ſibi eadem elegerit. Verùm enixe miror, & obſtupeo velut, quo pacto tu tam parvi illam facere poſſis, cum illa te omnibus hominibus prætulerit, ut vel unum pedem latum ſolam ſine te prodire patiaris, adeoque vel uno ſolo momento ejus aſpectu carere valeas. Optimè novi, ſemper eam in corde tuo imitùs fixam manere, Tamen Amor ille quam tantæ pulcritudinis conjugi debes, non tam ſtrictè tibi capiendus eſt, ut animum tuum exſatiare poſſis, figuram ejus pectore tuo incluſam circumferendo, cum & præſentem an-

N.B. Delie.

te oculos ſemper habere, & nuſquam ex iis amittere deceat, nobiliſſimã illam ſpeciẽ. Tum Diana vicem Delii, (ne fatuâ aliqua reſponſione, quam parum cordis ſibi eſſet, palam faceret) in hæc verba reſpondit. Nõ eſt cur Delius tantoperè ſuper matrimonio meo exſultet, ut tua modo voluit aſſeveratio, utq; tu in amicitiâ noſtrâ tibi gaudia fingis, nec opus eſt ut præſentia mea frui ſemper poſſit, prædia illũ ſua, & reditus negligere; inde quippe plus ipſi cõmodi domũ redit, quam de aſpectu, quam tu mihi affingis, ſpecioſitatis noſtræ. Alcid. Ne tã ſiniſtrè, ô formoſiſſima, de nobilitate formæ tuæ judices, neq; declines fateri, & præ te ferre, quæ tibi bona ineſſe omnes mortales norunt, neq; n. dedecet pulcras mulieres pretia dignitatum ſuarũ agnoſcere, multo minus faſtuoſæ aut ſuperbæ ideo perhiberi poſſunt, ſi cum moderatione conſcientiam excellentiæ ſuæ nõ abjiciunt. Tu vero Deli, licet æſtimes te inter omnes homines fortunatiſſimũ, & favore Sortis cũ bono animo benè utere, quæ quidẽ maiori te felicitate mactare nõ potuit, quã quod hãc tibi puellam conſpõſavit. Summâ animi intentione verba Alcidæ perpẽdebat Delius, neq; oculos

los à vultu dicentis uſpiam vertebat, fixus os mirando tam dulce,& ſapientiæ ſermonibus plenum;& id adeo quidem, ut ad finē tam arctè ſe amore ejus prehēſum ſentiret, ut, inſtar attoniti aut ſidere ſubito perculſi, verba reſponſioni non inveniret, ſed, ardētiſſimis ſuſpiriis adfectus vehementiam cōteſtās, novum vulnus Cupidinis intimis viſceribus infixum, omnib corporis geſtibus præ ſe ferret. Hæc dum fiunt, audita vox procul aures confabulantium mirifica cātus ſuavitate verberat: jam ad auſcultandū ſe componebant, oculiſque exſpatiantibus locum tam blandæ Muſicæ indagabant; cum ſe obtulit ſpecies paſtoris multum fatigati, qui ad fontem tamen quantâ poterat feſtinatione properabat, utiq; longinquo itinere feſſus, & ægrè greſſus trahens, inter eundum autē hoc carmen cātitabat.

Non majore mihi poterant præcordia flammâ,
Sors, levis, aut conſtans urere, Peſtis, Amor.
Nulli mens animi vel diffidentior uſquam eſt,
Nec cor in ærumnis gaudia tanta tenens.
Vnus Amor facit hæc, cui vix iam viva reſurgit
Spirituum, in Pœnas excita mille, Quies.
Non patitur furor hic vel cum Spe, vel ſine eâdem,
Vivere, nec, ſenſu deficiente, mori.

Pectus, iö, delirum, & io, mæstißima planctu
Lumina, cur tanto tempore sufficimus!
Ergo non aliquando, vel hæc tristißima vita,
Vel tot in ærumnas desinet iste dolor!
Ah dolor, & nec adhuc satis hæc tibi, Amor, mala facta,
Nec tibi sunt nostris, Alcida, caussa malis.
Si me libertate frui, mea lux, volusti,
Cur non vis istis solvere compedibus?

deaudire. Ægrè finem cantionis hujus Alcida deaudiverat, cum, agnito pastore peregrino, tota tremore concussa, quam properantissimâ celeritate surgit, ne adventu suo ipsam ille opprimeret, maximoperè Delium & Dianam orans, ne per ipsos illi innotesceret, affuisse sese isthic locorum. Vitæ quippe periculum sibi in eo verti ne ab isto homine videretur, quam ipsa omni morte pejus abhorreret. Spondere hoc illi, neque fidem violaturos dicere; utcunque tam inopinato discessu tam cari capitis extremè sese perculsos sentirent. Alcida, nil festinationi reliquum faciens, quanta poterat celeritate se in proximam fonti silvam coniiciebat, tam celeri fuga, ut ab immani aliqua fera, vel fœta tigride, vestigia ejus premi censuisses. Paullo post appulit pastor ille

ille æquè lassus ac moriens, tanta omnium membrorum fatigatione, ut Fortuna, condolens miseriis tantis, ad fontem istum illum pro recipiendis animi viribus jam penè evanescentibus, manu dextra duxisse videretur, Dianæ & Delii societatem velut recreationem & malorum oblivionem ipsi præparans. Ergo cum summo meridiei calore post labores illos cœli & itineris tam amœno se loco videret, considerans, umbracula arborum, virides herbarum toros, fontis limpidi uberem affluentiam, præter hæc autem omnia incomparabilem Dianæ formositatem, malorum suorum, subita velut novæ lucis affulsione, paulisper memoriam posuit, quamquam pretium ejus rei, quam tantis ærumnis quærebat, & desiderium quod absentis illius anxium differebat, nullis animi remissionibus spatium datura viderentur. Diana vero ut primum illum viderat tanta suavitate gestuum & civilitate vultus excepit, quantæ suspicionibus, & zelotypia, præsentē & omnia observantem Delium, rumpere poterant; & maxima quidem cura & voluptate hospitis adfectui adesse studebat, quippe qui pari malo cum ipsa adfligeretur quod quidem

illam clam esse non poterat, ideoq; mereri eam recreationem videbatur, quam suis ipsa miseris optabat. Maxima & ipse contrà æstimatione tam insignem civilitatem habebat, omni modo significans, animo se suo persuadere, nihil hôc tã ꝓsperô casu optabilius sibi obvenire potuisse, q̃ quod in tãtę formositatis favorẽ tũ ex insperatô venisset. Interibi Diana, circumspiciens quàquàversum, Delium suũ invenire oculis non poterat, Is n. summo, uti diximus, Alcidæ amore subito perculsus, dũ Diana hospitẽ excipere, & blãdis verbis attinere studet, pręcipiti se fuga, fugientem Alcidam persecuturus, abstulerat, omni diligẽtiâ vestigiis illius inhęrens, iterq; præcurrentis legẽs, conclusũ animo habebat nullibi consistere prius quã illã assecutus esset, etiãsi in alium terrarum orbem decurrendũ foret. Attonitæ similis Diana manebat cum tã improviso nusquã comparere maritũ suum videret; ꝙ solum ergo poterat, geminatis acutissimis clamoribus nomẽ ipsius appellabat. Verũ frustrà, non n. respondere ab alterâ parte silvæ curabat Delius, neq; ullo genere cursum suum intentissimum sistere volebat, solũ hoc studens, ut, quãprimum posset, novos suos Amores assequeret; ita quidẽ ut misera Dia-

na, novis percepta lamentãdi caussis, miseris se modis ob absentiã hominis affligeret, unde perculsus ad cõmiserationem, hospes pastor, in hæc eã verba consolari aggressus est. Noli formosissima, tã sine causâ tibi injuria esse, & suspicione nescio cujus fugæ tãtis te dolorũ presumtionib. induere. Nõ n. absentia illius pastoris prorsus desertã te putare habes, neq; animũ despondere. Forteanille dũ tu aliis rebus intenta es, amœnissimarũ harũ arborum umbrositatẽ quærens densiorẽ, & aure perflãtis opacitatem nemoris cupidior, locũ mutare ferventiorẽ voluit, priusquã nos cõsilium ejus sentiremus, cui suspicabat forte nos aliqua ratione cõtraventuros. Potest etiã ut, super advẽtu meo turbatior colloquio me indignatus, abscesserit, uti aliorsũ cõsidens, sine fastidiosâ mei cõversatione diei calorẽ tranquillor eximere posset. Respõdit his Diana: Gratiose Pastor, ut cognoscã malũ illud q te animi torquet, sufficit sermones tuos hactenus audire. Optimè pre te fers ab Amore eũ esse, qui te male habeat, morbũ, Is quippe cõsuevit amatorias suspiciões vanis illudere imaginationib. Ipsiq; Amatores in more habẽt sensib. suis res falsas & impossibiles credẽdas, pponere, eo nevt adveris & certis

fidem adhibendam illos faciant debiliores: Hoc & similia consilia; hospes, docere me possunt, eodem te affectu lancinari, qui & meum pectus coquit; remedium autem malo meo dare non possunt. Certa enim ego sum maritum meum Delium, qui clam nobis hinc se modo proripuit, vestigia formosissimæ puellæ sequi, quæ non diu factum est cum indidem hinc discessit. Et; qua illam præsentem affectione aspiciebat; quibus suspiriis animæ suæ penetralia laxabat, Ego, quæ hominis ingenium novi; quam ille tenax eorum sit quæ semel objecta animo sunt, adeoque ut nullo modo inde divelli, quod comprenderit, valeat; pro certo habeo non destiturum sequi puellam, etiamsi in vita sua in conspectum meum redire non possit. Quodque me magis etiam isto excruciat, perspectam habeo & puellæ ipsius naturam, quæ quidem tam absonè dura, atque ab omni Amore aversa est, ut summæ etiam formositatis dona pro nihilo habeat, neque animum suum vincere possit, ut quacunque amatorum virtute aut generositate delectetur. Tristissimo pastori videbatur cum his verbis mortiferam sagittam aliquam cor suum transire,

tranſire, ut exclamaret: Hei me infeliciſſimum Amatorum! quum meliore omnino cauſsâ condolere mihi decet omnes animas, quæ non plane adamanto factæ aut de petris exciſæ ſunt! qui mundum emetior indagando, aſperrimam, crudeliſſimam, impiiſſimamque quotquot umquam fuerunt in vita puellarum. Merito tu doles fortunam conjugis tui, nam ſi, quali animo mea eſt, tali illa quoque conciliata eſt, quam quæſitum hinc diſceſſit, in maximo diſcrimine vitæ ſuæ verſari eum ſcias. Audiens Diana, hæc verba indubiè cognovit clareque perſpexit, & morbum hujus hoſpitis, & non aliam puellam eſſe quæ tam diris illum modis tractaret, quam quæ, procul illum advenientem proſpiciens, tam celeri fuga abierat, quamque ille per univerſum orbem quærere non deſiſteret. Et certè res ita ſe habebat; namque hunc ipſum fugiens Alcida, ut eo minus cognoſceretur habitu paſtorali ſeſe occultabat. Verum diſſimulabat hoc omne tum Diana, neque quicquam hujus miſero aperire volebat ut ſtaret ſcilicet verbis ſuis, neque, promiſſum Alcidæ abeunti, ſilentium de præſentia ipſius, falleret. Accedebat quod

Pro comparata.

illa tanto jam tempore aberat, & tam immani festinatione fugiebat, idque per densissima silvæ impedimenta, ut nullâ plane celeritate ipsam assequi potuisset; itaque conscium illum horum facere, nihil fuisset aliud quam ad vetera tormenta novos illi insuper cruciatus adjicere. Hoc quippe maiori animum dolore afficit quod aliquo modo sperabile, nullo tamen omnino poriri potest. Itaq; cum utrũq horum cognoscere Diana, & amorum illorum ordinem caussamque scire cuperet, quaq; de caussa puella hominem tantopere abhorreret, in hæc verba illum alloqui institit. Cape ex re præsenti aliquod lamentis tuis solatium, hospes, & recensere mihi ne denega caussam istorum dolorum tuorum; non enim & meis melius subvenire poteris, & ego cupida sum cognoscendi, quis sis, & fortunarum tuarum cursus meis malis fortè accesserit; neque tibi ingrata erit prę-teritorum casuum commemoratio, siquidem Verè amas, Veriq; Amatoris nomine dignus es, quorum ego quidem utrumque non invita credidero. Sufficiebat illi hæc audire, neq; opus erat pluribus peti, sed postquam junctim ambo ad fontem consedissent,

ſediſſent, Hoſpes ita loqui exorſus eſt. Malorum meorum non eſt ea conditio ut cuilibet mortalium ea recenſeri poſſint, ſed perſuaſio, quæ de te tuiſque virtutibus penes me eſt, tum interior meritorum tuorum cenſus, quem mihi ſingularis iſta tua formoſitas enarrat, ſubigit me liberè tibi, quam petis, omnem velut ſpectandam proponere Vitam meam, ſi vita tamen vocanda eſt, quam hoc momento cum morte mutare non abnegem. Scito, ô formoſiſſima, nomen mihi eſſe Marcelioni; & ſtatum meum longè alium quam ex habitu meo iſtoc quiſquam ſuſpicari poſſit. Natus enim ego ſum in Civitate Soldina, Metropoli Provinciæ Vādaliæ, illuſtri patrum proſapia, & opibus præpotente. Tenerâ meâ pueritiâ traductus ſum in Aulam Regis Luſitaniæ, ibique educatus, amatus non ſolum ab Aulæ, Regniq; Primatibus, ſed ipſo etiam Rege, inter non multos; Adeo quidem ut numquam à latere ſuo me dimiſerit, donec ipſemet mihi Præfecturam Exercitus commēdavit, quem eo tempore in partibus Africæ habebat. Illic ego multos annos, ſummo imperio, oppidis & Caſtellis præ-

fui, quorum Regi ibi locorum copia eſt, Domicilium autem colebam Ceutæ, civitate non ignobili, unde malorum meorum exordium provenit. In ea urbe, ſiniſtrâ meâ fortunâ habitabat tum generoſitate maiorum & virtute propria ſpectatiſſimus Eques, nomine Eugerius, cui Rex civitatem illã gubernandam dederat: Huic, poſt inſignia Opum, Nobilitatis, & Virtutum, decora, favor Numinis familiam auxerat filio, vocabulo Polydori, ſtrenuo & virtutum omnium locuplete iuvene, & duabus filiabus, Alcida, & Clenarda, incomparabili utraque ſpecie puellâ, & virtutibus maiorũ laudibus æquabili. Clenarda ſagittis iaculandi dexterrima, Alcida, natu maior, pulcritudine etiam ſororem ſuperabat. Huius tanto me Amor deſiderio percepit, ut ſola me in hoc vivendi genus redegerit, ut, deſperationi momentatim proximus, crudiſſimam mortem quotidè exſpectem & provocem. Pater puellæ tam ſtrictè in eam animadvertebat ut rariſſimè cõſpectum eius excedere poſſet, quæ res impedimento maximè erat, ne ardentem meum ipſi affectum ſignificare poſſem; prætẽrquam quod, cum ſingulari for-

Plomentatim.

fortunæ favore conſpectum ipſius indeptus eſſem, oculis tormenta cordis præ ſe ferentibus, & ſuſpiriis profundo animæ ſinu etiam nolente me, petitis, ipſi aliquando deſiderium meum manifeſtarem. Semel, occaſionem faventem nactus, quod ſolum poteram, per litteras ipſam alloqui ſtudui, quarum ſeries hæc erat.

Honeſta Gravitas, ſancta Maieſtas, Pudor
Cordatus, & Modeſtia, & Sapiens Decor,
Tranquilla Mentis & ſibi vacans Quies;
Alii tuarum mille virtutum chori,
Quæ totum in orbem differunt laudes ſupra
Titulos priorum, quamlibet celſos, tuas.
Alcida principes Pulcritudinum, meum
Tam pectus arctis attinent periculis,
Flammisq. torrent, nullibi ut conſtem mihi.
Ipſum hoc, quod audeo alloqui Numen tuum,
Sic me repellit indidem, ut vitæ licet
Diſcrimen obſtet, præferam ſilentium.
Quis ille durus, qui videns radios, quibus
Fulgorem ocelli demicant veſtri ſacrum,
Non mutus adſtet & velit ſilens mori!
Quis, Pulcritudinum erud tus nomina,
Maiore vidit indole & Sapientiâ
Formam potentem, conferens priſ is novas?
Quis vidit iſtam, quin Amore ſe novo

Visâ implicarit, mente tam victâ, procul
Vti silere quam loqui, malit miser.
Ego tacendo talia exantlo mala,
Vt pectus in lamenta disrumpi queat,
Exire fractis cratibus cor proditum.
Spes vana, vitæ est, Gaudium fidem suprà,
Tormenta certa, firma Pœnarum seges:
Bono orbus animam, perditus malis, ago.
In memet ipse vindicem vim exerceo,
Quod opto maximè, hoc minus nihilo venit,
Quod fugio, sequitur, & prehendit maximé.
Exspecto quod mî convenire non potest,
Tristitia nullum nostra Consilium petit.
Exulto ego in dolore qui me interficit.
Mea vita, Gaudiumque, tam durant diu
Quam differentiam ipse metior mei
Talis decoris comparatus Gratiis.
Ergo; arrogante pectus elevans gradu,
Tam celsa spero tangere exsultim loca,
Animumq; forti munio Constantiâ.
Verum duello me petit tali, tua
Divina forma, & indoles hominem suprà,
Vt mille vitæ non ferant resistere.
Sed nulla terrent me pericula, invia
Via nulla tantum est, confragosa, aut aspera,
Iter morari quæ meum contra queat.
Video sequi me propriam inconstantiam,

Quæro

Quæro malorum tormina & Pœnas graves,
Animumque diris planctibus miserum offero.
Tranquilla mens succutitur ærumnis, tamen
Medio in dolorum gaudia adsunt gurgite,
Mea vita Pœnæ gloriam in sinu invenit.
Mihi Pœna ludus Pœna delectatio est,
Mors dulce nomen, sunt joci suspiria,
Recreatio Ignis, Sanitas, sunt vulnera.
Nil video quod non suscitet flammas meas,
Addatq; furias mille tormentis graves.
Hinc robur auget, fortitudo est fortior.
Horum malorum, Domina, tu caussa es mihi;
His lancinatus vivo tormentis tibi,
Aequas dolorum sufferens Spei vices.
Miserere miseri, Domina; qui vitam suam
Offert Amori mille cum Pœnis tuo,
Malis medelas ille non quærit suis,
Saltim tua ille quid ferat caussâ, scias.

Hæ fuerunt litteræ ad eam missæ; quæ si tam benè compositæ fuissent quam felices fuerunt, ingenium meum utiq; Homeri gloriæ exæquassem. Venerunt in manus Alcidæ, quæ, quamvis alloquio meo nonnihil perculsa, audaciâ verò etiam offensa fuisset, nonnihil tamen, dolorum meorum noticiâ, animum in favorem meum inclinavit, ut postea edoctus sum, & quidem

amplius quam de infelici mea ſorte ego ſperare habebam. Orſus hinc pro Amatore me ipſius gerere, omnibus officiis eam demereri ſtudens, Ludis equeſtribus, exercitiis militaribus, veſtimentorum ornatu, omni denique habitu, & vitæ ordine me illius favori demerendo componens, mille carminum genera, faventibus Muſis, conſcribebam, ut magis magiſque affectio illi noſtra innoteſceret. Gerebantur hæc annis aliquot continuis; quibus evolutis, meritum me nuptias filiæ ſuæ cenſebat Eugerius, adeoque generum in familiam recipere non detrectabat. Itaque, interventu principum illius regionis, virorum, mihi matrimonio illam jungere conſpondet. Res eo deciſa eſt ut Sponſalia Liſibonæ fierent, uti Rex Luſitaniæ præſens illis adeſſet. Itaque ſummo ſtudio Curſorem eò deſtinamus, Regi Nuptias noſtras ſignificamus, ſupplicantes liceat, idoneis hominibus negotio commiſſo, in Aulâ eius convenire, ut ſollemniter Nuptialia feſta celebrarentur. Illico per univerſam civitatem, adeoque vicina & longinqua Regni loca, fama differtur de matrimonio meo, quæ mirificè omnes afficiebat, congratulantes tam

Aliquò deſtinare curſorem.

tam ſingulari pulcritudine Virgini tam cordatum & fidelem Amatorem obtigiſſe. Huc uſque proſperitas mea curſum tenuit, Eò excelſitatis me Fortuna elevavit, ut poſt in profundiſſimum miſeriarum gurgitem, in quo nunc verſor, præcipitem projiceret. O Fugitivum Felicitatis Bonum, ô mutabilis Lætitia, ô variabilis delectatio, ô inconſtantiſſima Firmitas, rerum in vita humana! Quis amplius de Fortunæ favore ſperare poterat, quam ego capiebam? Quis diriora pati poſſit, quam poſt ego, huc uſque, paſſus ſum; & etiamnum patior? Ne me cogas, rogo, Diana formoſiſſima, auribus tuis moleſtum eſſe, ſequentem rerum ordinem recenſendo, ne quà animi tui affectibus miſeriis meis denarrandis iniurius ſim. Contenta ſis audiiſſe felicitatis meæ tenorem præteritum, ne velis audire præſentem dolorum meorum Hiſtoriam. Certus enim ſum, prolixitatem malorum meorum tædium audiendi facturam tibi, & infantiam narrantis mei faſtidio tot ęrumnarum te vexaturam. Reſpondit Diana. Omitte, oro, Marcelio, & has & ſimiles alias omnes excuſationes, neque enim Fortunas tuas eo fine audire optavi, ut de bonis ſal-

tim tui animum delectarem, sed & malorum participare vel auditu ipso ordinem cupio, ut amborum historiã in pectus hoc meum admittã, ærumnosum ante hac, atq; sic congaudeam condoleamque tibi. Ah formosa puella, respondit Marcelio, quam libenti animo hic orationi finem ponerem, si citra affectum in te meum esset, quo nihil umquam non facere decrevi quod tibi placere videam. Et, quod magis me etiam premit, est, non posse fieri quin incivilitas mea in recensendis tam amaris rebus aliquo cor tuum dolore contingat. Me quod attinet, non facio tanti tristitiam quam hinc animo aucturus sum, quin libens illam commuté cum Voluptate, quam diem tibi gratificor, recipio. Video te quippe tam cupidam hæc cognoscẽdi, ut cogar aliquo modo tibi molestus esse, ne voluntati tuæ contraveniam: Scias igitur & sequentia. Postquã conclusæ erant infelices nuptiæ nostræ, jamq; Rex quæ petieramus, annuerat, Pater Spõsę Eucherius, amissa conjugeviduus, Filius hujus Polydorus, duæ Filiæ, Alcida, & Clenarda, & infortunatus ille Marcelio, qui cordolia nunc tibi sua recenset, Officiorum, nobis à Rege cõmissorum, munia fidelibus homi-

Alicujus voluntati contravenire.

nibus

nibus commendãtes, in Portu Urbis Ceutę navim adſcendimus, pelago iter Liſibonã, nuptias in præſentia Regis celebraturi, facturi. Lætitia, quam pro ſe quiſque, hoc rerum ſucceſſu, capiebamus, adeo nos animi cæcos effecerat, ut periculoſiſſimo anni tẽpore, metu nullo tempeſtatum, tum maximè increbreſcentium, nec furiis ventorũ, iis mẽſibus omnia turbantium maria, diſtineremur, quin, fragilem navem inconſtanti Fortunæ credentes, alto nos committeremus, parum ſolliciti quid de Elementi, Aeris, & Fortunæ periculis ſentiretur. Sed parum omninò ſpatii interceſſit, cùm Fors audaciam noſtram caſtigare cœpit; eo enim adhuc die, nondum nocte ſolem obtegente, Gubernator navis, manifeſtiſſima ſigna futuræ tẽpeſtatis ſe notare, indicavit. Cœperũt abhinc paullatim ſpiſſiſſimæ nubes cœlum obſcurare, undarum imitus excitarũ fragor crebreſcere, Ventorũ animæ contrariis flatibus undiq; violenter aerem commovere. Ah triſtia & periculoſa nũcia; timore turbido percitus Gubernator exclamat! Ah infeliciſſimum navigiũ, qualia te infortunia manent, niſi peculiari Deus auxilio ſuccurrerit! Cum dicto tam im-

mani impetu Boreas navim perculit, ut, extentis velorum ſpatiis, totique adeo machinæ incumbens, omne ſubſidium Magiſtro excuteret, Rapiens in maximum undarum cumulum, ſine remigis uſu, aut arte gubernandi, furorem Tempeſtatum ſecuturam. Inſoleſcere ſenſim cœperat undarum truculentia, fluctuſque, ſpumis albentibus turgidos vortices erigebant, cœlum omne in effuſas pluvias præcipitabat, radiis circum undique fulgurum horrendis jaculabatur, mundumque tonitruum ingeminationibus contremefaciebat. Audiebantur terribiles rudentium ſuccuſſorum ſtridores; ſuper omnia animos percellebant nautarum & vectorum ejulabiles clamores. Venti ab omnibus lateribus navim impugnabant, Undarum violentia, iteratis pulſibus etiam firmiſſimos tabulatorum aſſeres, &, ingentibus fixas clavis, trabes, diſruptis coagmentationibus ceſſim diſſindebat, & dilacerabat. Interdum ſubito, velut, faſtu, elatum mare ad cœli uſque confinia nos elevabat, repente ad inferas abyſſos contra detorquebat; non rarò horrendis ceu faucibus ſeſe aperiens, & dilaxans, profundiſſimos imarum arenarum ſitus

com-

Tempestatis Descriptio.

Clamor ejulabilis.

commonſtrabat. Quicquid virorum & mulierum in navigio erat, hinc inde diſcurrendo, miſerabili propinquæque morti moram undiquaque quærebat, pars alto corde petitis ſuſpiriis, pars votis ad ſuperos ardentibus, alii, quibus ſolum poterant, lacrymis, ærumnas ſuas commendabant. Gubernator, qui jam tantâ Tempeſtatis violentiâ omnem ſanguinem amiſerat, omni artis ſubſidio truculentis ventorum æſtuumque viribus ſuperato, quid ageret dubius, officio ſuo adeſſe nequibat, jam neque unde ſpirarent Venti, neque quorſum raperent navigium, neque, ſolitas notari, eorum differentias agnoſcebat amplius, itaque uno temporis articulo mille diverſa imperabat. Nautæ, vicinæ mortis diſcrimine attoniti, quæ juſſa erant exſequi non poterant, neque adeò ipſam vocem imperantis audire, tantus aerem tumultus undique percellebat, fruſtrà raucis clamoribus illo & turbidis objurgationibus inſtante. Hi vela colligebant, alii antennam circumrotabant, alii ruptos rudenteis connectebant, alii fragmenta aſſerum trabeſque diductas, & convulſas, reponere laborabant, pars pelagus in pela-

gus effundebat, pars temoni ipso succurrere occupati erāt, summa; nemo studii quippiam remittebat, ut inevitabile visu, naufragium, quacunque ope posset, defenderet. Verum nil agebat universa mortalium diligentia, nihil proficiebant vota & lacrymæ, ut aliquo modo saltim furentis Neptuni ira componeretur. Contrà potiùs quo propinquior Nox ingruebat, magis crebrescebat ventorum violentia, Tempestatumque sævitia augebatur. Jam tenebrosis nox umbris omnia latè induerat, neq; pericula quicquam remittebant, cum Pater Eugerius, desperato jam mortis remedio, vultu lacrymis irriguo, alterationemq; mentis declarante miserabiles suos, generum, liberosq; intuendo, tam ęrumnabili spectaculo infortuniorum summā auxerat, ut non minus nos illius dolor, quam propriorum discriminum magnitudo, afficeret: Sic miserandissimus senex, undique ærumnis circumventus, lamentabili voce ita nos affari orsus est. Ah variabilis Fortuna, humanis gaudiis infensissima hostis, tam immane infortunium in ultimam mihi senectutem usque meam servaveras! O ter quaterque

que felices, qui juvenilibus ſuis annis mortem, crudelibus præliorum inſultibus, ſanguine ſuo ſibi pepererunt, ut exemti hoc metu, hac infandâ triſtitiâ liberati, non haberent amatiſſimorum ſuorum liberorum lugubria fata deplorare, cum ipſi pedem jam in foſsâ haberent. O vehementiſſimum malum! ô triſtiſſimum caſum! quis umquam tam omnibus modis lamentabilem mortem oppetiit, atque nunc ego! Qui ſperans quandoque, me ultimam neceſſitatem meam conſolaturum ſucceſſoribus, quibus familiam & memoriam meam inſtauratas relinquerem, truculentâ morte perire cogor, in medio eorum quibus ducendas exſequias meas commendare cogitaveram! O Deſideratiſſimi liberi, quis dicturum ſe mihi crediſſet, vitam veſtram meamque uno momento temporis ſimul finiendas! uno nos omnes infortunio pariter perituros! Volebam, liberi mei, conſolari vos, volebam tantis malis verbis levamen addere, Verùm quid dicere vobis poſſit afflictiſſimus Pater, in cujus animo tantus dolorum concurſus, tanta mœſtitiæ abundantia eſt, tã enorme

omnis ſolatii deliquium? Tamen conſolamini vos, liberi mei, armate corda veſtra tolerantiâ, relinquite mihi junctim omnium veſtras particulares triſtitias, quoniam cum ſinguli vos ſingulis mortibus oppetere cogemini, mihi mea primum imminet, deinde de unoquoque etiam veſtrum alia; toties mihi fatum iterabitur, quot veſtrum ex me geniti, aſcitique in familiam meam, ante oculos meos moriemini. Hæc ærumnoſiſſimus Pater, cum tantis lacrymis, ſuſpiriis, & gemitibus, proferebat, ut vix vocis iter verba invenirent; amplectebatur ordine omnes, feſtinabundus, ne quem ultimo parentis officio celerata mortis neceſſitas præciperet. Nunc tibi lacrymas etiam & dolores Alcidæ, meoſque pro ea, mei velut obliti, recenſere velle, difficilimum & laborioſiſſimum ſit negotium. Unum aliquod de tantis tibi narrare ſolum cupio: Quod maximè me omnium torquebat hoc erat, vitam mihi meam, quam illius ſervitiis devoveram pariter cum ipſius, lõgè mihi cariore, ponendam eſſe. Inter hæc, lacera iam & diſrupta, navis vi ventorum Occidentalium; qui per anguſtias freti, quod Gibraltar e hodie vocant, inſano impetu

petu debacchabantur, incitata, majore celeritate, quam Saluti noſtræ utilis erat, tempeſtatum furiis compulſa, totum illud Noctis ſpatium cum ſequenti die, abſque omni, gubernatoris, nautarumque, & vectorum, ſubſidio, multa paſſuum millia, per æquor mediterranei maris proceſſerat, quorſum rapiebant, Ventorum turbines, ſequi coacta. Altero, poſtindè, die videbatur Tempeſtatum furor nonnihil remiſſionis ſpondere: Verum illicò ad priorem ſævitiam rediens, tantis nos diſcriminibus circumſiſtebat, ut nec unam nobis horam vitæ deincipis polliceri poſſemus. Ad finem, tantus nos fluctuum ęſtus conquaſſabat, ut icta navis turbine præcipitis procellæ, lævo lateri impulſæ, tam proxima naufragio eſſet, ut jam ſummis foris aquam immitteret; Ego tam penitus irremediabile diſcrimen ante oculos videns, enſem, quo accinctus eram, cum baltheo ipſo mihi diripio, ne quo ſcilicet mihi modo impedimento eſſet, & complexu ſtrictiſſimo Alcidam meam circumdans, cum illâ me in ſcapham quæ navim ſequebatur, projicio. Clenarda, quæ puella erat admodum habili corpore, & mente promtiſſima, nos in-

NB. Deincipis.

ſequens idem faciebat, non oblita arcum pharetramque, arma quibus aſſueverat, quæque omnibus theſauris potiora amabat. Polydorus, Patrem ſuum ambobus brachiis complexus, volebat ſaltu nos in eamdem etiam ſcapham ſequi, ſed occupantes illum Gubernator cum alio quopiam nautâ, prævenerunt, dumque ille cum ſene ſaltum luctatur, derepentè incidens turbo, tanto ſpatio ſcapham navigio depulit, ut volentes nolenteſque cogerentur iſti in hâc perſiſtere; quâ, momento tẽporis à nobis divulſi, prorſus extrà conſpectũ ablati ſunt, neq; ex illo tempore quicquam de eorum fatis auditu comperimus; hoc ſolum ſuſpicari, immò penè pro certo ſcire licet, peſſumdatam navim naufragio ad ultimum reſiſtere non potuiſſe, aut miſerandum in modum tranſverſam in latera ſinuum Hiſpanicorum raptam, prorſus amiſſam periiſſe. Nos autem, Alcida nimirum, Clenarda, & Ego, in minutâ ſcaphâ hærebamus, induſtriâ duorum, Gubernatoris & Nautæ, totum iſtum diem cum ſequenti nocte ſervati, quãquam nullius remedii ſpe niſi, neque in ſingula momenta quicquam præter præſentem interitũ exſpectan-

ſpectātes; nec jam quiſquam noſtrûm, quâ regione jactaremur, gnari: Altero poſteà die, ſummo manè, nos vicinos cuipiam telluri ſenſimus, & eam appulſi, per medias fluctuum moras venimus. Duo nautæ, dexterrimi nandi, non ſolum ipſi in terram evaſerunt, ſed & nobis opitulati ſalvos omnes in continentem eduxerunt. Cum jam tamdem aquarum diſcrimine liberati eſſemus, Nautæ, ſcapham ad littus ſubligātes, agnoverunt regionem, inſulam nimirũ Formenteram eſſe, quam teneremus, non ſatis interim mirari potentes tam brevi nos tempore tam immane ſpacium evectos cõfeciſſe; Illi verò tam experientes omnium erant, quæ mari tempeſtatum truculentiæ efficere ſolent, ut parum animis commoti viderentur, ſuper omnibus iſtis infortuniis noſtris. Jam quidem, Pelagi periculis elapſi, animum receperamus, & de ſecuritate jam noſtrâ mutuò gaudere poteramus, ſi citrà Eugerii & Polydori fatum fuiſſet, quod nos ſanè miſerrimè afficiebat, tum autem etiam fames adeò nos macerabat, ut parvam caperemus ſervatæ vitę lætitiam. Nolo jam commemorare tibi planctus & querelas Alcidæ & Clenar-

dæ,fratre germano cum Sene Patre amiſſis,ut quidem hiſtoriæ ordo eò citius detexatur;imminet enim jam,urgetque me,recenſio triſtiſſimi mei caſus,quo in inſulâ illâ ſolitariâ Fortuna adverſa vix naufragio elapſum invenit. Quid Fortunam autem dico? Potius,illius me telis & diſcriminibus ſuperſtitem, Amoris hoſtilitas confecit,qui ægrè ferre videbatur liberatum me tam propinquo exitio, & hoc ſtudere, ut quo me tempore præſentiſſimam mortem evaſiſſe gaudere poſſem,eo me ille, pejoribus ipsâ,doloribus ærumniſque torqueret. Feriit tum malignus ille Puer cor Gubernatoris, cui Bartofano nomen erat, tam ardenti Amore pulcritudinis Clenardæ,germana quæ Alcidæ meæ jam ſæpius memorata eſt,ut,oblitus uno momento omnium, fidelitatis & amicitiæ Legum , uti ſolùm voti ſui potiretur,crudele & barbarum ſcelus ſecum ipſe concluderet , concluſumque effectui mox traderet. Hoc ita contigit. Poſtquam Germanæ ambæ, Alcida , & Clenarda,longo jam tempore lamentis ſuper infortunio Patris & Fratris indulſiſſent, accidit Alcidam,fatigatam tot malis,arenâ ſeſe proximâ collocare, ubi , violentiâ diu

ſuſpenſi

ſuſpenſi ſoporis, altùm obdormivit. Quo viſo, ego ad Bartoſanum converſus, amice, inquam, uti vides ipſe, eo res noſtræ devenerunt, ut niſi de victu alicunde procurando nobis proſpiciamus, fruſtrà morti de marinis fluctibus elapſi videamur, quos Fames ſævior in deſerto littore confecerit. Igitur, ſi tibi idem mentis erit, optimum factum arbitrer, te cum ſodali iſto tuo, quà primùm parari poterit, in inſulam progredi, & cibatui neceſſaria nobis præſtinare. Reſpondit tum Nauta; ſatis feciſſe pro nobis, Marcellio domine, ſibi videbitur jam Fortuna, quod in continentem nos ſalvos undarum fluctibus extulerit, quamquam ora hæc telluris omnino inhabitata ſit. Errorem tu iſtum pone, nihil enim humano victui hæc terra ſuppeditat, ſterilis omnino & inculta. Ego vero, quod ipſe commentus ſum, ut famem pellamus, tibi indicare volo. Vides minutam iſtam inſulam quæ illîc ex adverſo jacet, non longè abhinc diſſita? Illic magna copia venationum ſuppetit, cuniculi, Lepores, aliæ tales feræ, quantum quidem ſilveſtria ſpelæa educare ſolent. Illîc etiam Eremita quidam colit, in cujus tugurio ut plurimum farinam & pa-

nem invenire eſt. Mihi videbatur facto opus eſſe, ut Clenarda, quæ quanta ſagittandi artifex ſit tute melius compertum habes, cum ſcapha iſta noſtra in illam inſulam trajiciat, venatura utique aliquid omnium noſtrorum ſalute, cum arcum & tela ſecum habeat. Ego cum ſodali hoc meo eam illûc ſiſtemus: Tu vero, Marcellio, hic juxtà Alcidam exſpectare reditum noſtrum poteris, antequam enim illam ſomnus reliquerit, ſpero nos opimâ prædâ onuſtos illuc reverſuros. Optimè & mihi & Clenardæ conſuluiſſe Bartoſanus videbatur, neutro ſuſpicante quam ille nequiſſimam fabricam ſtrueret. Clenarda tamen nulla ratione perſuaderi poterat ut ſine me ſocio in inſulam illam trajiceret, quoniam abhorrebat ſe fidei nautarum ſolam credere: Et quocunque ego modo excuſationes quærerem, inferens, non poſſe fieri ut Alcidam ſolam iſthîc relinqueremus, dormientem in deſerto littore, reſponſum illi promtum erat, quoniam parum ſpatii inter utramque inſulam foret, venatio illîc copioſa, mare autem benè tranquillum, (dum enim nos in terra fueramus fluctus

ctus admodum compositi erant) posse nos venatum proficisci, & redire ante-quam Alcida, quæ tot jam noctibus somnum non vidisset, excitaretur. Ad ultimum tot argumentis obstinationem meam concutiebat, ut, oblivíscens ejus, quod magis mihi curæ esse debebat, absque suspicione deterioris Fortunæ, velle me dicerem, quæ vellet. Quod quidem pessimè Bartofanum habebat, qui, ut desiderio suo satisfaceret, nullum sibi comitem, præter Clenardam solam, optabat. Verum neq; sic scelestissimo homini astus defuit, ut novo casu nova sceleri patrando subsidia excogitaret. Nos relictâ dormiente Alcidâ, scapham intramus, & mari nos committimus; verum priusquã insulam, quo tendebamus, appelleremus; me, sine armis, & absque omni proditionis suspicione, alia omnia cogitantem, qui vitam solam naufragio eripuisse lætus eram, nec armorum ullam curam habebam, assiliunt derepentè atque ex improviso prorsus, duo isti nautæ, repugnare nil valentem, comprehendunt, & vinciũt. Clenarda, viso scelere, dolore atq; indignatione præcipitẽ se in pelagus ejicere volebat, sed à Gubernatore vi re-

Secretim aliquem alloqui.

tenta est, qui ad alteram mox Scaphæ partem traductam, secretim ita allocutus est. Formosissima Virgo, ne percellare animo, neque mira habeas, quæ isthîc modo gesta vides, consolare & compone cor tuum, animum tuum tranquillitati dede, omnia ista tui gratiâ, & à tui studiosis nobis, patrantur. Scias, Domina, Marcellionem istum, cum desertam illam insulam appelleremus, remotis arbitris, soli mihi dixisse, persuaderem tibi, ut venatum in istam alteram traduci te sineres, cum autem medium jam mare teneremus, nos proram navis Orientem versus obverteremus, indicando, Amore se tui captum esse, deserturumque ejus gratiâ in littore desertæ Insulæ Germanam tuam, ut voto suo, concubitu nimirum tuo, absque omni obstaculo, & impedimento, frui posset. Hinc cum non vellet huc nos comitari, arte & dissimulatione cautissimâ rem gerebat, uti malignitatem suam commodius contegeret. Ego vero, qui pretium Formositatis tuæ aliter æstimare possum, ne Virtutibus tuis tam atrox injuria inferretur, eo temporis articulo quo consilium suum mihi Marcellio, aperiebat, conclusi animo, fidelitatem

tem tibi ſervare; ipſumque eo fine comprehendi & vinxi, propoſitum animo habẽs, eo eum modo in proxima inſula relinquere, & ita tecum reverti ad deſertam in alterâ, ſororem tuam. Hanc tibi facti præſentis Rationem reddo, tu expende quid porro ſequaris, utri te deceat amplius fidem habere. Hoc ſermone, Clenarda, audito, pro veriſſimo mendacium infidiſſimi nebulonis accepit, ergaque me irreconciliabili irâ conceptâ, conſenſit, ut ego illuc ducerer quo Bartofanus volebat. Aſpiciebat me vultu furibundo, & ex rabie mentem omnem externante, nullum mihi verbum loqui poterat. Intimo tamen corde ſuo ſibi gaudebat, & congratulabatur de vindictâ quam ex me captura eſſet, nec quicquam eorum percipiens, quibus illam dolis perfidus nauta verſabat. Agnoſcebam ego ex omnibus geſtibus vultuque puellæ, parum illi condolentiæ eſſe, vinctum me, & conſtrictum teneri, igitur eam adverſus, Quid hoc eſt, inquam, negotii, ſoror, tam parum tibi dolendum videtur meum hoc tuumque infortunium? Ut tam cito planctus tui & lacrymæ finem ſibi inveniant? Poteſt ut ſpem certam habeas, ci-

to me liberum reviſuram, & expetentem vindictam criminis tam barbari, ab impuris iſtis latronibus. Illa tum, feræ inſtar Leænæ, atroci voce mihi reddidit, ideò me vinctum merito meo eſſe quod voluerim deſertâ Alcidâ ſorore ſuâ, ſeſe rapere, & illa deinceps omnia quæ turpiſſimè ſceleroſus
Præmentiri. homo illi præmentitus fuerat. His auditis, majore quam alias umquã, dolore quatiebar, & quoniam manibus vindicare me de impuratiſſimis nebulonibus non poteram, verbis iram in illos effundebam: Ipſi autem puellæ tantum argumentorum indicavi, ut intelligeret immane hoc facinus non aliâ cauſsâ quam ex diro Amore Bartofani oriundum eſſe. Percepto, illa, fabricæ tam
Multum lamentorum dare. malæ ordine, tantum lamentorum dedit, ut nullum ſcopulum non talibus querelis mitigaturam fuiſſe arbitrer; nihil tamen ad omnia iſta barbari latrones movebantur. Nunc tu mecum cogitationes retro in inſulam illam deſertam flecte, iam parvum noſtrum navigium plurimum pelagi celeritate ſuâ emenſum erat cum infeliciſſima Alcida, ſopore ſuo excitata, ſolam ſe videt,
Orbus Subſidiorum. omnium humanorum ſubſidiorum orbam & ſpoliatam: Vertebat tum, puto, miſera

ſera Oculos ad mare, non videbat illam ſuam ductricem, ſcapham! magnam partem littoris quærendo emenſa, neminem mortalem inveniebat. Poterit ſubvenire tibi, ô formoſiſſima, quid illo tempore, illo caſu, miſeræ animi fuerit! Imaginare nunc animo tuo lacrymas illas, quæ de vultu mœrentis deciderunt: Cogita planctus illos, quibus infortunium ſuum vacuo aeri conqueſta eſt: Attende quot vicibus præcipitem ſe horrendis fluctibus injicere voluit! Exputa, quoties nomen illa meum tum iteraverit! Nos verò, iam dum tam longè avecti diſceſſeramus, ut vocem clamantis audire nequaqam poſſemus; illud ſolùm conſpicabamur tegmine capitis candido elevato, & receſſim vibrato, retrò nos illam ad ſalvandam ſeſe, vocare. Non tamen hoc animum ut faceret inducere poterat Bartoſanus. Contrà ſummâ celeritate itineri inſiſtentes appulimus tamdem in Inſulam, Yvicam nomine, ubi terræ inſilientes, nautæ, me extractum navigio ad Anchoram quamdã adſtrinxerunt, quæ illic forte fortunâ ſolo infixa remanſerat. Offenderunt ibidẽ alios quoſdam nautas, Bartoſano notos, & eodem

ÆGRIM NIÆ RE CORDATI

cum illo ingenio, quibus, quamquam Clenarda omnem rem gestam enarrasset, supplicans proditæ suam pudicitiam, qui possent, perfidi latronis manibus adsererent, nihil tamen profecit, quin insuper necessario commeatu instruxerunt raptorem. Is Clenardam, quantumcunque etiam, reluctantem, & Deorum hominumque fidem implorantem, ut puellam vi navigio intulit, & vela fecit, quorsum dehinc ablati sint, mihi incognitum est, qui nihil eorum quicquam post vidi vel audivi. Ego interibi, miserrimum in modum fame maceratus, & jam animam agens, manibus pedibusque advinctus, illic stabam; Quod infortunium cum mirificè, ut par erat, me afficeret, nullo loco tamen ponebam, consideratione eorum, quæ Alcida patiebatur, quam in Formēterâ solam, omnium rerum egenam, reliqueram. Et mea quidem Fortuna illico remedium invenit: Ad clamores quippe & ejulatus meos advenerunt, copia maris accolarum & nautarum, qui miseriis meis condolentiores barbaro illo latrone, viri, ut res ipsa demonstrabat, non mali, neque eorum similes qui cum Bartofano modo fuerant, solverunt vinculis, & esui,

esui,potuique, quæ habebant largiti sunt. Dehinc tantis à me pulsati precibus, ut renuere jam non sustinerent,armarunt celocem quampiam,quam victu insuper & aliis necessariis,munitam, meo arbitratu, meq; socio,Formenteram versus egerunt. Venti favor is erat ut paucis omnino horis nos eò quo tendebamus, sisteret, eôdem quoque loco quo dormiens Alcida remanserat. Verum, quantamcunq; diligentiam in perquirendâ illâ adhiberemus, nullis neque clamoribus neque aliis indiciis adventus nostri neglectis,nec volam tamen ejus,nec vestigium,uspiam indagare potuimus. Autumabam ego desperatis rebus miseram se ponto præcipitem injecisse, vel, ferarum silvestrium incursu dilaniatam, periisse: Denique,dum omnem lapidem moveo,omnia excutio,nihil non perquiro,nihil totâ ferè insulâ inexcussum relinquens, tamdem in latere petræ,velut in tabulas sepulcrorum scribi solent,mucrone cultelli, has exaratas litteras inveni.

Sicci & arenosi vis littoris,ad mea cujus
Carmina plangentis,conticuere soni.
Vos fluctus inflati, Animæque, immania circū
Augentes nostris murmura cordoliis.

12. INVOCATIO POET. Rerum inanimatarum

Augere.

Vos petræ eduræ, quibus inscripta ista meorum
Aeternùm votorum, indicia, immaneant.
Vos testes fidi nostris estote querelis,
A sponsô quod sim sola relicta meô.
Germanam ille meam, me oblitâ, avexit, iidem
Et ratis & Fidei vela tulere Noti.
Nemo dehinc nostro gaudebit Amore procorum;
Tranquillum hoc nullis est mare Temporibus,
Hujus ego æternùm freta dira cavebo, nec unam
Mille hostes contrà me temerè objiciam.

Non exaggerabo tibi, narratione vulneris, truculentiam quo animam meam percelli sentiebam, cũ hæc verba legerem, edoctus illis, alienâ me libidine, & fortunæ adversæ iniquitate, immerentem, Amoribus meis spoliari, Hoc quippe considerãdum tuæ sapientiæ relinquã. Unum affirmare tibi possum, pertæsum vitæ, tam prorsus undiq; ærumnis atq; doloribus circumcinctæ, voluisse prono pectore in proximum ensem incumbere, & vi rumpere materiam omnium tristitiarum; & perfecissem certè quod volebam, si nautæ isti tam verbis quam manibus non impedimento fuissent. Retulerũt me pro mortuo in Celocem suam, quâ, assiduitate precum, & pollicitationibus meis adacti, tantum magnis itineribus effecerũt, ut

ut me in Italiam tranſveherent;urbis Cajetæ portu,in Regno Neapolitano,exponentes. Illîc cum neminem non ſuper Alcidâ meâ verbis&ſignis rogarem,tamdem à paſtoribus quibuſdã certior factus ſum, illuc eam quoq;appuliſſe,vectam Hiſpanâ navi, quæ in inſulâ Formenterâ ſolam inventam ſuſceperat: Quodque paſtorali habitu ſeſe induiſſet,eâ ſolâ gratiâ, ne quicquam mihi de rebus ipſius aliquando innoteſcere poſſet. Extemplo ego quoque, uti eò facilius eam indagare valerem, pari me habitu veſtivi,totum illud Regnũ angulatim velut perſcrutando,numquam ullo loco quietem mihi ſumſi, donec cõperi, fugientẽ me, quæ reſciviſſet me aliquid de ſe inaudiviſſe,navi Genuenſi in Hiſpaniam tranſvectam eſſe. Illicò eorſum & ego vela feci, perſequens fugam ejus; Veni in has oras, maximam eorũ ſum partem perſcrutatus, neminem tamen adhuc offendere quivi, qui vel ſummum ejus indiciũ mihi faceret, quæ tanta crudelitate me fugit, quamque tam ærumnabili ego labore quæro. Hæc eſt, formoſiſſima puella, Tragœdia univerſæ hactenus vitæ meæ, Hæc eſt cauſſa mortis meæ, hæc ſeries atque ordo meo-

Corſum.

rum malorum. Quòd si, in tam fastidiosâ narratione, tædium etiam prolixitas caussata est, culpam ejus tu tecum habes, quæ nullo modo remittere hanc noxam mihi voluisti, quin omnem à capite ad calcem tibi recenserem. Jam verò, quod abs te petere habeo, unicum hoc est, ne contendas ærumnis meis aliquà remedium quærere, neque tam atrocia mala consolando levare velle, neque interturbare perennes has lacrymas, quas ego tales, absque omni solatio, & fine, Pœnæ mihi meæ debeo, justâ quidem atque irrefutabili ratione. Finito hoc sermone, Marcellio, tam tristi atque miserabili modo, non ita pridem desitos, planctus & lamentationes suas, redintegrare exorsus est, ut amarissimi fletus, & suspiria cor in penetralibus pectoris lancinare visa, maximâ condolentiâ audientem afficerent. Voluit Diana illi indicare non ita dudum eodem loco Alcidam affuisse, sed promissionem fallere, & verba facto confutare, non videbatur tolerabile, prætereà cogitabat, nihil sese effecturam amplius, quam uti tormenta sua misero augeret, cum nosset puellam tantoperè abhorrere aspectum ejus, ut nihil addi illius odii extre-

extremitati posset. Igitur nihil illi de reliquo dixit, nisi quod, quam optimè poterat, consolata eum, jussit confidere bono Successui, quippe sibi spem esse brevi eum amatissimæ suæ Alcidæ junctum visuram Cum enim illa inter pastores, ut credibile foret, Hispaniæ jam versaretur, non posse illic diu ignorari, ipsam vero sese nulli operæ parsuram, quin undique inquireretur, etiam secretissimis & remotissimis universæ regionis locis. Magnas enimvero illi [illegible] gratias agere Marcellio, oblationum tam officiosarum, addens preces, quam poterat, diligentissimas, ut vitam suam, hoc negotio vertentem, commendatam sibi haberet: Cum ita quod ex ipso petiverat Diana, jam perfecisset, veniam ab ea discedendi petere adorsus est, adjiciens, cis paucos, uti confideret, dies, eôdem sese reversurum, ut resciret an diligentiâ illâ, promissâ sibi, aliquid Alcidæ rerum ipsi innotuisset: Diana autem omni ope illum detinebat, dicens: Certè ego tam gaudiis meis injuria non ero, ut te ex sodalitio meo tam propere dimittam, Potius, quoniam nunc à marito meo Delio relicta sum non aliter quam tu ab Alcida tua, volo ut de copia mea aliquid

Magnopere ejus egere videris.

tibi capias, quoniam ejus magnoperè mihi egere videris, & posthac, quoniam jam umbræ arborum duplicari incipiunt, mecum eas in pagum meum, ubi ut per perpetuos nostros dolores licebit, noctem istam traducemus, manè mox summo, junctim proficiscemur ad Fanum Dianæ, Dearum castissimæ, ubi domicilium colit sapiens illa Felicia, cujus scientia atque religio aliquod fortassis ærumnis nostris remedium dabit. Et quo melius animum recreare possis cognoscendo rustico vivendi genere, & simplici candore pastorum nostrorum, ut illi per has regiones vitam tenent, optimum factum erit, non mutare te habitum istum, quo nobis conformi indutus es, & nemini aliorum hominum indiciũ facere, quis tu sis, sed quam maximè possis, nomine, habitu & gestibus vitam pastoralem nostram exprimere. Assensus est Marcellio Dianæ voluntati, & postquam aliquid cibi cepisset, quod illa de panariâ suâ perâ promserat, sitim autem limpidæ de proximo fonte liquore aquæ domuisset, cujus utriusq; illi sanè admodũ necessarius usus erat, qui totum istum diem neq; edisset neq; bibisset, neq; interquievisset etiam, non diu morati,

Sera panaria.

Interquiescere.

morati, iter ad Pagum, Dianæ habitatum, insistebant. Sed parum admodum itineris confecerant cum de denso quopiam fruticeto, non longè à viâ quà ibant, dissidente, audiveruntvoces cantantium pastorū, qui, ad sonos sambucarum suarum, suavissimè carmina tēperabant; Igitur Diana, ut erat Musicæ amantissima, Marcellionē rogare institit, ut illuc iunctim diverterent. Jam propiores fruticeto facti erant, cum Diana agnovit Taurisonem & Berardū, Pastores esse, qui amore ipsius multa ambo patiebantur, sueti ferè semper comites incedere & carminibus suis alteri alter contradicere: Diana ergo & Marcellio non intrabāt ipsum locum, ubi isti consederant, sed juxtà, ponè quercetum quoddam, concedentes, id querebant, ut invisi inauditique, suavitatem cantionum pastoralium velut furarentur. Illi autem ambo, quamquam nosse non poterant tam propè adesse illā, quæ unicum argumentum ipsorum Musicis erat exercitiis, animis tamen præsagis rem velut divinando, tamquam propinquam inimicam suam esse edocti forent, pastorales suas voces modulis concinnis attemperantes delicatis, ut poterāt ma-

ximè, gradibus & commatis carmen modificantes, hunc in modum cantare instituerunt.

TAVRISO.

Cum Iam Sol montes duplicatis transeat umbris,
Deserite, ô, nostri pascua vestra, greges!
Audite, absque ullô cantatas ordine, voces,
Musica mî adversis quæ Dea fert oculis.
Audite, ut mea se vivo cremet igne medulla,
Viscera ut in prunas candificas abeant.
Ardoris nostri caussa unica forma Dianæ est,
Forma, parem numquam cui superi extulerũt!

BERARDVS.

Quam prius abscedens, Sol, rore madentibus herbis,
Indicet, Hesperio sidere, Noctis opus:
Vos, iö, oves, agnique, mei gregis unica cura,
Audite hos planctus, candidulis animis.
Non ego in ardenteis ut eam, canere ordior, ignes;
Sed rigidus totum me timor ut cruciet!
Quo miseram hanc animam, dementem de suo Amore,
Attinet hæc, superis invidiosa, Dea.

TAVRISO.

Cum flagrantem animum tam perfectæ decora intrant,
Forma, suis ita me raptat imaginibus

Perci-

Percipiam ut clarè paullatim desinere in se
Vitam, incendentem mētem animi in Cineres.
Sensibus oppreßis, Amor insuperabilis, inštat,
Spem iam ille amissam restituisse potens.
Pabula ut æternis non desint ardida flammis,
Non datur ulla meis pausa refrigeriis!

BERARDVS.

Cum meā ego sortem, atq; humiles cōsidero mores,
Altaq; se contrà fert Dominæ species.
Percussum rigido consistit cor metu, & in se
Tristifico immensùm, mens stupet, icta, gelu.
At considere Amor iubet; atq; ego me facere istuc
Commemini quondam, nunc pavor attonuit.
Nunc in subiectum tantô, Timor, impete regnat
Certa uti nec vitæ sit, brevis hora, meæ.

TAVRISO.

Auspice tam adverso, flagrantia lumina, cerno
Clarorum astrorum, quæ tua fert facies,
Gratiam eam, hos gestus, hæc tantæ sidera formæ,
Regnat in, una, omnes queis, Dea nostra, Deas,
Momento ut quovis, desiderii ignens ardor,
Sese in scintillas induat innumeras,
Spes procul ešt Ignem hunc ullis superare medelis,
Quin me mî è penitis sedibus eripiat.

BERARDVS.

Auspice tam adverso digiti illi, ea mille dolorum
Mille armata manus, mortibus, erosea.

Illi oculi clari, vivi duo sidera Amoris,
Mortiferis telis pectora trajiciunt:
Impetibus duris ut vires undiq; victæ
Considant nobis, in gelu, & in glaciem.
Confecto animo esse. *Tam confecto animo, tam exsangui pectore, ploro,*
Vt desiderium ipsum ipse metus superet.

TAVRISO.

Fulgura si quando, duras findentia quercus,
Decidua ire. *Vidisti adverso decidua ire polo?*
& decidere. *Talis Amor nostrum flagranti fulgure pectus*
Incinerare. *Transit, & ipsam igni victā animā incinerat.*
Torrentis furias, alto de monte ruentis,
Vidisti sata læta & quatere agricolas?
Tam fera, tam metuēda, mihi mea visa Diana est,
Ira ubi in adversos fert truculenta viros.
Sed nihil tanti potuere motus,
Vilis ut contrà subeat pavor nos,
Imò, quo major furor, hoc mihi mens
Firmior exstat.

BERARDVS.

Si nivium cumulos vidisti, Sole sequente,
Defluere in sulcos suscipientis agri?
Vidisti nostram radiis fluere undique vitam,
Armata est nostræ quîs facies Dominæ.
Vidisti è crudo fugientem forte duello
Pastorem, armorum qui nihil addidicit?

Me videas, perculsum animo, tanto ire pavore,
Vt neque cura mei sit super ulla gregis.
Hôc gelu vinctus tamen, hôc rigore
Gaudeo captus mage, quàm feroci
Si quis audaces animos in Ignes
Impete versat.

TAVRISO.

Tale Berarde, malum nostro se in pectore versat,
Vndiq; me, atq; omni, ut, tempore, conficiat.
Non audax mea mens, non est cor, verum uti fas est
Ambo dant pastum, capto oculis, Puero.
Sic mea mî consumta tamen, tristissima vita,
In mediis flammis vivere, læta, potest.
Vt quæ magna capit magnæ solatia flammæ,
Non habet ullâ de re aut Ratione queri.

BERARDVS.

Altorum, Tauriso, opus, hæc Dea nostra, Polorum
Sideribus terras tam videt egregiis.
Lucis uti claræ nostras, vi, exire tenebras,
Et nebulas omni pectore præcipiat.
Quod si illam admirans conspexi lumine contrà,
Cæcus & exsanguis, tristis & attonitus,
Illico humum fixos oculos devertere cogor,
Vt nec ad hoc, victô pectore, sufficiam.
Vt videã, ut loquar, ut doleãve, querarve, Dianæ,
Qualia ego illius nomine sustineam!

Mirum hic addi versum ultra Taurisonis numerum.

TAVRISO.

Audire nostra numquam
Voluit, puella, dicta.
Sed dura pectus acri
Obormat aure semper.
Cruciare me professa
Persistit hunc rigorem.
Ah cruda Pœna, dura
Constantia in dolore!
Sed Firmitas Amoris
Hæc est eritque nostri,
Securior malorum
Vt exeam tumultu.
Vt, dura petra, Venti
Contemnit atque Ponti,
Radice nixa firmâ,
Graveis licet, furores.
Sic quo magis gravabor,
Hoc fortius renitar,
Animusque flammâ ab ipsâ
Vitæ petet vigorem.

BERARDVS.

Non lata regna rerum,
Feritate tam cruentâ
Lupos habent, pavere
Vt ego velim irruentes.
In amoris ipse rebus

Igna-

Ignavus atque ſimplex
Audere nil profeſſus,
Damno procul recedo.
Nec ego irruente poſsim
Obſiſtere hoſte contrà,
Acer metus medullas
Sic occupavit omnes.
Animam rigore duro
Amor impius fatigat;
Mediumque penè corpus
Disrupit ille nobis!
Amor ah fere, ah cruente,
Hic mortifer dolor me
Quî non mori facit? quî
In morte vita noſtra eſt?

TAVRISO.

Ad fontis aſsidentem
Huius fluenta, vidi
Iunctam ſuo marito,
Quondam impiam, Dianam.
Malô meô ipſe præſens
Fruticeto in hoc latebam,
Moriens dolore rerum
Quas conſpicabar iſthîc.
Dicebat ille nihilum
Sed ruſticâ manu, illa
Tractabat illa, torno

Deducta, pulcra membra,
Manebat hoc modo isthîc.
Rem nuspiam remittens,
Ego, conspicatus ista,
Fruticeto in hoc latebam.
Pectus meum invidente
Livore deflagrabat,
Animus, fero occupatus
Odio, grave infremebat.

BERARDVS.

Serenitate quondam
Cœlum tenente sudâ,
Speciosa præter omnes
Veniebat huc Puella.
Illos suos capillos,
Ductas fibras ab auro,
Ricâ tegens, nitente
Et ipsâ, ductili auro.
Mille illa Lusuum arteis,
Socio suo marito,
Ludebat, & movebat,
Mille illa Lusuum arteis.
Vidi ipse cum manu ille
Tetigit feroce ricam,
Rica illico soluta
Solvit comam Puellæ!
Vt illa solvit istam,

Metus

Metus illico implicavit
Mihi pectus hæc videnti,
Nec adhuc solutus hoc sum.

Postquam finem his cantibus Pastores dederunt, processerũt cogere greges suos, qui per saltum sparsi palabant. Hoc studentes cum propè locum venissent, ubi Diana & Marcellio latebant, nõ potuerunt quin viderent eos, quamquam summo studio sese occultare satagẽtes; Maximâ lætitiâ insperata hæc & optatissima offensio pastorum animos affecit; at si meticulosus ille Berardus pavore visæ puellæ quatiebatur, non remittebat ardentissimus contrà Tauriso, quin desideriis suis etiam majorem flammã subiiceret, conspecta unica tormentorum suorum caussâ. Salutatione mutuâ, quam civilissimè poterant, defuncti invicem, rogarunt mutuò sese, ut, quoniam bona fortuna ita ex inopinato eos conjunxisset, junctim iter ad Pagum , quem habitabant, capesserent. Diana, quamquam tanto virorum grege comitata incedere non consueverat, non renuit tamen officiũ, comitate suâ solitâ ; quo obtento, Tauriso & Berardus, aliis pastoribus, quibus stipabantur, injunxerunt negotium cogendorũ

& pedetentim mox domum agendorum gregum, ipsi comitatum Marcellionis & Dianæ secuti, præcipere iter properabant. Rogare tum Dianam Tauriso, ut cantibus suis aliquid occineret; annuit illa; tum ita cantitare orsi sunt.

TAVRISO.

Puella dic quid à me
FLectis tuos ocellos?

DIANA.

Aegrè vident ocelli
Quod cor abhorret intus!

TAVRISO.

Quis usspiam puellam
Visum negare vidit?

DIANA.

Studet hoc, negans amari,
Nolens amare quemquam.

TAVRISO.

Non est cor ullibi, istoc
Animam rigore torquens.

DIANA.

Nec pastor æquitati
Tam sponte perduellis.

TAVRISO.

Quî non tuos Rigores
Amor edomare quivit?

DIA-

DIANA.

Mera est, Amor, voluntas:
Nil virium huic tributum est.

TAVRISO.

Ratio jubet meorum
Misererier dolorum.

DIANA.

Illa ipsa præcipit mî
Cavere Amoris artes.

TAVRISO.

Quid me, puella, torques?
Tua forma, me quid horret?

DIANA.

Soleas quod hunc rigorem
Prudentiam vocare.

TAVRISO.

Ratione nempe nullâ
Crudelis, & fera, in me es.

DIANA.

Potius dolore ab atro
Sic servo pectus istuc.

TAVRISO.

Formosior sum ego quam
Credas mihi, puella.

DIANA.

Contentus esto, quod me
Tibi credere ista dicam.

TAVRISO.

Ergo ut magis fatiges
Blandiris, ô superba!

DIANA.

Si plura dicta poscis
Injurius mihi exis.

Summoperè omnes afficiebat hæc puellæ & Pastoris vicaria succentio, & quamquã Taurifo contrarias suis petitionibus Dianæ responsiones perciperet, eoque modo tormenta ejus magis intenderentur, quam remitterent, magnoperè tamen hac ejus comitate exsultabat, adeòq; ut ea delinitus crudelitatem sensuum suavitate vocis audienda animo nõ admitteret. Eodem tempore meticulosus Berardus ille, omnem suam confidentiam reliquam in pectus suũ cogens, oculos suos adversis Dianæ luminibus velut infigens, ad instar oloris, fatorum suorum necessitati jam proximi, qui ad ripã pellucidi fluminis considens, mortem instantem summâ cantus suavitate prænuntiat, & deplorat; metu debilem vocem, qua licebat, levans, ægrè pectori obluctanti & pavore sussilienti cordi, ad sonum sambucę suæ hos versiculos expressit.

Proxi-

Proxima vita ſuo mea nunc triſtiſsima fini eſt, 14. De vita periculo.
Hæret & in ſummâ, jam reſecanda, colo.
Quippe, modô quôcunq; mea iſta edicere pergã,
Et rumpam aſsiduis mentẽ animi lacrymis,
Gratia nulla malis tamẽ impetrabilis uſquã eſt,
Nulla datur Pœnis, hei mihi, nulla fides!
Tam, mea conditio, triſtis, tam, deniq; dira eſt,
Spes uti mecum omni deſerat auxilio.
Credere ſi ſaltem mea queſtibus his, Dea, vellet,
Præmia ea in planctus mortiferos habeam!
Nunc adeò in ſummo vitæ diſcrimine conſtans,
Præmiaq; hæc Fidei qualiacunq; peto.
Gratia nulla malis tamẽ impetrabilis uſquã eſt,
Nulla datur Pœnis, hei mihi, nulla Fides!

Poſtquam decinuiſſet Berardus Paſtorum chorus in Marcellionem fixerat oculos, quem, quia peregrinus & ignotus erat, ad cantionem ſollicitare non ſuſtinebant. Ad ultimum tamen Tauriſo, ille cõfidens, ipsũ allocutus rogat nomen ſuũ edicere ne gravaretur, &, ſi impetrari hoc abs ſeſe ſineret, cantitaret etiam ipſe aliquid, quoniam cæteris omnibus rem hoc pacto gratiſſimam eſſet facturus. Ille nullo alio reſponſo reddito, ad Dianam converſus, tacito geſtu ab ipſa petiit ſambucam quam tangeret: ſic cantionem exorſus utrique paſto-

rum petitioni simul satisfacere voluit; & præmisso suspirio; hunc in modum cecinit.

15 Querela. *Talis ego nunc sum, visâ feritate Puellæ,*
Quæ mea mî capto pectora discruciat,
Ut neque quis modo sim mihimet meminisse superstit,
Nec fieri quid me Sors mea deîn iubeat.
Hoc scio, si forem homo, mala tot mala ferre nequirem,
Quin raperet dudum Mors mala præcipitẽ.
Si Petra, si duro deductus marmore membra,
Non possẽ has tantas profluere in lacrymas!
Marcelionem homines vocitant; hera nostra Puella est,
Illa ego, ego illa puella, illa ego Marcelio est.
At neq. quis modo sim mihi nunc meminisse relictum est,
Nec fieri quid me sors mea deîn iubeat.

Jam Lux Solis nocturnis tenebris stationẽ concedere incipiebat, jam pagorum culmina procul fumare videbantur, cum, proximi suis cubilibus, pastores, finem diei simul laborum & Cantionibus suis imposuerunt. Singuli casas suas subierunt, benè animo contenti, de præteritæ diei conversatione: Diana vero minimè tranquillâ men-

mente esse poterat cum resciret nō venisse villam Sirenum, quem illa peribat. Marcellionem quidem Meliboeo, cognato Delii sui, commendavit, qui prolixâ comitate illum domum suam hospitatum duxit; Ipsa vero ad sese conferens, convocatis propriis suis, deinde & mariti Delii agnatis, cognatisque, ipsis recensuit, quo pacto aufugiens maritus illam reliquisset ad fontem PLatanorum, cursu prosequens puellam peregrinam. Super hoc faciebat mirificos planctus, miserabilesque querelas nectebat; in finem quarum indicavit convocatis, summo manè sibi conclusum esse iter ad Fanum Dianæ insistere, ut à sapiente illâ Feliciâ doceretur, quid factum foret marito suo. Omnibus apprimè benè placuit hoc propositum, ad quod exigendum singuli & universi suam ipsi opem offerebant. Illa, quæ pro certo haberet in illo fano sese desideratissimum suum Sirenum inventuram, lætabatur admodum hujus negotii conclusione; sic spe imminentis lætitiæ istam noctem, placidiùs solito, interquievit, corde suo insolitam quamdam tranquillitatem præcipiens.

FINIS LIBRI PRIMI.



C. BAR-



C. BARTHI
NEMORALIUM
LIBER SECUNDUS.

IURIS atq; Justitiæ omnis Contemtor, Cupido, tam potens & ferox est in rebus mortalium, ut toto Orbe vix quicquam supersit quo ille non, datâ occasione, ad crudelitatis suæ imperium propagandum atque confirmandum, abuti soleat; Quicquid horum, vel majoris auctoritatis, vel insignioris pretii, est, omne hujus impotentiæ & petulantiæ favere deprehenditur. Præcipuè autem, & præ cæteris ferè omnibus, Fortuna cum instabilitatis suæ Constantiâ tãtoperè ejus ministeriis devota est, ut nullo non tempore & locô, illi, ad cruciandos atque tormentis differẽdos homines, operam suam offerat. Manifestum hoc negotiũ faciunt infortunati etiã Marcelionis nostri

ſiniſtri caſus, ex quo Fortuna fatum ejus ita ordinavit, ut ſponſa ipſius, ipſi unicè dilecta, Alcida, coacta fuerit credere malæ, & malè conceptæ, ſuſpicioni, quæ falſa erat penitus, ſpeciem tamen Veritatis eam præ ſe ferebat, ut fundamento rei geſtæ ipſo non alia quam maximè vera videretur. Fugiebat illa canẹ & angue peius, idque irremiſſo odio, eum, qui & numquam anteà ipſam offenderat, & tum quoque magis amabat quam propriam ſuam Vitam. Atque hinc rebus neceſſariis colligi poteſt, quam certa ſit habenda quælibet etiam in vita mortalium præſumtio, ut ei debeat de cordatorum choro quiſquam fidem bonam adjungere, cum iſta ipſa hæc quæ tantum Veritatis inſtar præ ſe ferebat, tam prorſus ab illâ re ipsâ aliena fuerit. Verum quamquam tam hoſtilibus modis junctim Amor & Fortuna Marcelionem perſequi non deſiſterent, unum tamen hoc commodo ejus confecerunt, eiusque velut gratię dederunt, quod Cupidinis telis cor Dianę ſauciatũ eſt, & Fortuna Marcelionem ad fontem PLatanorum illi advexit; ut ambo, initâ ſodalitate, ad Fanum Dianæ, ejusque Antiſtitam, Feliciam, proficiſcerentur, ſicque

que triſtitiam ſuam tam optabili converſatione miſer ille bonâ ex parte poneret. Igitur advento tempore quo roſea Aurora aureis ſuis radiis fugaret nocturnorum ſiderum lampades, & Avium chori ſuavibus admodulationibus propinquum diem mũdo noſtro annunciarent; Amore percita Diana, jam dum fatigata prolixæ noctis moleſtiis, cubili ſuo levavit, ut deſiderato itineri ſe accingeret. Jam ovicularum gregem Polyntiæ commendaverat, cũ ſuccincta ruſticâ ſuâ ſambucâ pago patrio proceſſit, ſambucâ inquam ſuâ ſuccincta, quæ oblivio ipſi erat laborum omnium, ſolatium mœrorum, triſtitiæ oblectamentum; neque minus peram ſuam neceſſarii victus ſubſidiis inſtruxerat. Deſcendit igitur ſenſim de villâ ſuâ ad latus illud ejus quod denſo admodum fruticeto obductum erat; id emenſa, conſedit ſub umbram platanorum, illîc florentium, exſpectans adventum ſodalis ſui Marcelionis ut quidem inter eos præteritæ diei veſperâ convenerat: Interim verò, dum moratur ille, ſambucam ſuam attemperans, hanc voce illi cantilenam accinuit.

15. Invocatio Lucis.

Lux ô clarificæ, properam te adverte, dieì,
Blanda, trahens sudo lumine Solis equos.
Vt miseram hanc animam à tristi solére dolore,
Quâ coquitur, telis victa Cupidineis.
Phœbe, Deûm specie princeps, quo sidere reddis
Plantarum exsucco vivam animam generi,
Quo deserta potes hilari loca tradere cultui,
Redde meæ optatam, maxime, lucem animæ.

†

In hoc amœni me Nemoris sinu,
Quod in quietem blandificam vocat
Mortalium mentes, videbis
Torminibus gravidis perire.
Oblivioni tradita maceror,
Ah tradita illi, quem olim ego tradidi
Oblivioni, nunc Cupido
Artibus interimit meis me!
Sic ille vertit, cum libet, aleam;
Mutatque Amoris diro odio facem,
Majore tormento ut merenteis
Excruciet, sine lege, menteis.

†

Quæ fera tam sæva est, ut non mansuescere cantu
Quæ petra tam dura est, nolit ut, ægri hominis!
Quæ trigris ve, Leove, nec his mitescere poßit,
Quos mea dat planctus proxima vita, Neci!

†

Soli, noster Amor, tibi
Hæc, Sirene, cano, ceu vacuum in nemus;

Infortunia nil mea
Nil te, Cura, movet; non magis, ac ſolent
Venti flabra furentia,
Inſanos pelagi dum quatiunt ſinus,
Nautarum dare planctibus
Aures mitificas; quo mage triſtibus
Te quæſo precibus rogans,
Hoc, ah, durior es ſpernere ſupplicem!

†

Non tuus ille fuit, qualem credebam ego, Amorem,
Hôc ipsô in pratô, fidus & ingenuus.
Cum meus hîc, tantillus, eum tibi demſerit error!
Omnia iuraſti, perfide, Vana mihi!
Iuraſti quæ, vane, ipſo hoc in littore quondam?
Ah quam nunc animo cuncta tuo exciderunt!

†

Ergo nec ſupremus Amor, puſillum
Corriget nævum mihi negligenti?
Ergo ego oblitô tibi nil rependam
Dignius iſto?
Sed magis cum te nequeam perire,
Nec ſatis ſpreto facere omni Amore,
Reſtat hoc ſolum, moriar recisâ
Spe mihi Vitæ!

†

Verum ego vivam adeo potius, quoniam mala cuncta
Te propter, mea lux, triſtifica hæc patior!

Quod si etiam ulterius Pœnis gravioribus instes,
Tormenta auctoris nomine cuncta feram.
Te mi, impressum animo, charâ retinere figurâ,
Delinquentem etiam, restituit mî animum.

†

Tu celsa mentis huc modo effera inclina
Fastidia, altis me videns gravem Pœnis,
Hoc vivere uno quod te amem, licet spreta.
Sed homine tam quid à fero boni exspectes?

†

Nunc tibi præteriti quæ gratia temporis illa est,
Cum miti humanum pectore te faceres?
Perfide, cum invidiâ morerentur mille tuorum
Pastores votorum, invidiâque mei?
Ah felicia tum, ah merô ab aurô tempora ducta!
Vt desideriô vestri ego nunc pereo!
Sint mihi, iô, testes prata hæc florentia, florum
Mille ubi cum puris carpsi ego, dona, rosis.
Vt tuo abhinc capiti fieret formosa corolla,
Ah geniale meis stemma Cupidinibus!
His ego sæpe, tuô suavi lenitam ab Amore,
Crinem de capite hoc jungere me memini!
Nunc memini! ah miseram meminisse interficit isthuc!
Tu tamen e duro pectore cuncta abicis!

†

Tu fugis hanc, odio immani, per te morientem,
Cui par nulla umquam fide in Amore fuit.

Si

Si miseram non est spretis attendere Pœnis,
Vindictam ah læsi, Respice, Amoris, opus!
Quippe ferox contrà se iura Cupidinis armans,
Quo mage defendit, cor, mage se superat.

†

Nunc læsa votum hoc Numina poscimus,
Quali puellam me, iuvenem modo
Cupido te eôdem vulneratum
Cingat inexplicitis catenis.
Vti imprecer te cuncta mala, utile
Mihi futurum cerno: sed indidem
Fortuna nil, Divique, præstant,
Cuncta meis inimica Votis!

†

Non ego vota mea hæc quercino in cortice signem;
Roboris aut credam, sæpe legenda, libro.
Spargam ego ea in ventos, & in aera differam inanem,
Ne quis ea umquã exhinc perdita cõmemoret.
Vita mihi quoniam, & periit data, Gloria, vitæ,
Pœnarum intereat sic quoq; notitia.

Delicata vox formosissimæ Dianæ & Gratia morum incomparabilis, laudatissimis ipsis eorum temporum puellis longo intervallo præibant, tamen majore etiam miraculo adficiebatur qui canentis gestum, vicum acutissimâ subtilitate omnia dicta vivificantis spiritus, audire coram & cerne-

re poterat, quæ omnia in Gynæcæis summorum Principum educatam referebant: Quod quidem nemo tam pro miro habere debet, ut incredibile planè arbitretur, cum negari non possit etiam eam potentiam Amoris esse, ut simplicissimas, vel de pagis, puellas Sapientiâ illâ imbuat, quæ urbanitates quorumvis de Aulis hominũ Lepôre & Consilio longè post se relinquat, præcipuè si in instructam à natura intelligentiæ vivacis, & judicii nitidi, donis sese aliquam contulerit, neque desunt pastoralibus etiam culminibus ingenia excitata & subtilium omnino inventionum. Verum cum jam ad finem cantionem suam Amore-percita Diana nostra deduxisset & jam clarior Solis lux inciperet summa collium cacumina inaurantibus radiis convestire, infelix in amore Marcelio, pastorali se cubili expediens ad locum illum properabat quem Dianæ condixerat; eôdemque quo illa, itinere profectus de latere colliculi descendebat ad cujus pedem illâ cõsederat; itaq; de longinquo ab illa conspectus est, quæ res puellam adegit vocem premere, ne forte caussam planctuũ intelligeret Marcelio: Cum appulisset is, ita Dianã allo-

allocutus eſt: Formoſiſſima puella dies jam oriens iſte, qui clarior etiam ſpecioſitate tuâ & lepôre exoritur, tàm lætus & fortunatus tibi veniat quàm infelix & triſtis mihi eſt, eſſetque omnino etiam triſtior & infelicior, niſi in tuâ eum ſodalitate transacturum ſperarem. Cucurri quantum potui, cum viderem tarditatem meam eam eſſe, ut aliquid exſpectanti tibi moleſtiæ concinnare poſſet: verum non iſte fortaſſis poſtremus error noſter erit, quem negligentiæ meæ ſolitâ tuâ gratiâ condonabis, cum aliis, dum ſocietate hac tuâ frui potero. Superflua ſit, Diana reſpondit, condonatio, ubi culpa nulla eſt; non in negligentia tua hic aliquis, ſed in nimia mea ſollicitudine non parvus eſt error, quæ ante tempus domum reliquerim, & huc præceſſerim, ubi ſedens intereà dum Sol oritur tempori fallendo & cantavi aliquid interim, & cogitavi, & meditata ſum, quantum licet ſpiritui non nimis ſubtili, & non magnis rebus adſueto. Verum hîc nunc commorandi tempus nullum ſupereſt; quamquã enim via ad Fanum Dianæ admodum prolixa non ſit, deſiderium tamẽ noſtrum, eo veniendi, eſt maxi-

mum. Præterea mihi videtur itineris bonã partem festinando nobis præcipiendam, dum Solis adhuc mitior est ardor, radiique remissiores, ut in meridiem illô evectô, in locô quôpiam frigidiusculô & umbrosô interquiescere meliore temporis spatiô valeamus. Cum dicto junctim ambo viam institerunt per medium illum saltum, quam longus erat densusq;, profecti; quem dum transeunt, fallendo viæ tædio, ita alter alteri accinuerunt.

MARCELIO.

Quod meam in excelsum posuisti sæve Cupido,
Fortunam, humani summum, apicem, meriti:
Monstrasti nobis qualeis adsueveris arteis,
Parte aliquâ exstinguens, Tristitiam, ut duplices.
Quam melius tantarum expertem vivere siris
Lætitiarum, uti jam sueveram ego esse miser!
Quam quod, non sperata obfundens gaudia, captis,
E mediis rapias ad mala tanta bonis!

DIANA.

Ne mirere malum mala ea inferre, optime, Amorem;
Mille jugantem uni tormina Lætitiæ.
Moribus utitur his, nulli se addicere gaudet,
Ludit in ærumnis, & lacrymis hominum.

Non tot in Aprilem laxant ſua germina flores,
Non tot arenæ inſunt Littoribus Libyæ.
Quot pia cordoliis, quot planctibus ille fatigat,
Nec ſibi in his umquam, Corda, ſatisfaciens.

MARCELIO.

Ante animo expendens cognoram triſtia Amoris,
Queis Libertatem, Facta, hominum exſpoliat.
Nunc video, vitæ non ſolum odio ordinem habere,
Ipſum intellectum interficere atq; animum.
Sic via ubi una animo eſt ad gaudia pulcra relicta,
Mille adſunt contra triſtia fluminibus.

DIANA.

Cum tam ſint manifeſta pericula perfidi Amoris,
Cur patitur quis ſe, corde volente, capi?
Libera ſi mens non pugnat defendere ſeſe,
Cur tot in abſurdas capta venit lacrymas?
Aequâ mente feras dominum, qui ſervus Amories,
Sperari à tali nil niſi tale poteſt.

Hanc, aliaſq; pluſculas cantilenas, decantarunt priusquam ad finem memorati ſaltus pervenirent; eo autem emenſo in floridum & delectabile pratum pedem poſuedirunt. Tum Diana: Miraculo res, inquit, dignisſimæ ſunt, quæ ingenioſorum hominum induſtriâ in populoſis & celebribus

civitatibus confectæ, atque exactæ, visuntur; majori tamen lõge admiratione dignas ego existimo, quibus Natura solitaria camporum loca exornavit. Quem non mirari bona sua faciat amabilis ista saltus hujus frigiditas? quis non stupeat animi ad decora spatiosi huius prati? Porrò adspicere versicoloria ornamenta mutuo sese arridentium horum flosculorum, audire simul conludentes cantatricum avicularum voculas, tantâ mihi hilaritate animum mulcere videtur, ut nulla aulicarum pomparum, neque aliquod spectaculorum urbanorum; ad huius Voluptatis pretium pervenire videatur. Certum est, excepit Marcelio, magnam copiam esse in hilari ista solitudine oblectamentorum ingenuorum, quibus animi humani curarum sese exonerare obsequiis possint; Maior tamen utique hinc Delectatio illis venire dicenda erit, si qui liberi ad talium bonorum fructum aderint. Nihil enim istis talibus obstiterit quin voluntate lubituque suo dulcedine purâ talium spectaculorum sese expleant. Certius quidem etiam mihi videtur, si Amor ille, qui in hac locorum solorum amœnitate me tantopere excruciat, dimi-

dium ſaltim horum mihi tormentorum in patriâ civitate inferret, vitæ ſpes mihi omnis excideret, non enim adeſſet copia talium delectationum, quibus nunc interdum malorum meorum diritatem mitigare poſſum. Nullum ad iſta verbum reſpondit Diana, manum ſaltim, illam candidiſſimam, oculis ſuis prædueens, illâq; inauratum verticem ſuum ſuſtentans, non parum temporis tacita permanſit, iteratis tamen ſuſpiriis animi anxietatem crebro conteſtata. Poſt ita prolocuta eſt. Ah me, miſerrimam puellarum paſtoriarum, quod remedium conſolationi meæ ſufficiet, ſi illa, quæ aliis, ut audio, bonam ærumnarum partem eximunt, meas miſerias etiam cumulant? Non tantum iam tolerantiæ mihi supereſt, Marcelio, ut dolores meos te porro etiam cælare poſſim: Unum me in hoc negotio delectat, quod ſolus tu adfuturus ſis cum Pœnarum mearum ordinem recenſuero, quoniam omnino obſiſtere non poſſum quin coacta enarrem. Tantum autem civilitati, & generoſis tuis moribus, tribuo, ut gaudeã huic tempori, & iſti loco, incidiſſe noſtrum conventũ; tu quippe, pari ægritudine mecũ labo-

rans, ſtultitiam meam mihi facilè ignoturus videre, præcipuè ubi cauſſam ejus penitius cognoveris. Ego eodem malo affecta ſum, quod te tantoperè excruciat; me, ut te Alcida tua, ita paſtor oblivioni traditam abhorret, Sirenus nomine, qui prius conſtantiſſimè me amabat. Verum fortuna, quæ hominum intentiones & conſilia pro lubitu ſuo quaquaverſum mutat, voluit magis obtemperantem me patri meo, quã quod ita mea ferret voluntas, eum abdicare ſpe matrimonii mei, meque tradere in ſervitutem marito invitam, qui, ſi aliud malum non haberet, quam quod continuæ zelotypiæ & ſuſpicionib. ſiniſtris per omnia deditus eſt, ſufficeret vitam mihi, florenti ætate meâ, interſtinguere. Verum ego, contenta etiam duriſſimis his matrimonii conditionibus forem, modo præſentem Sirenum videre daretur; At ille, credo aſpectus mei pertæſus & faſtidiens, de coactô illô conjugiô meô occaſionem ſumſit mei obliviſcendæ, itaque pagum noſtrum omnino reliquit, &, quantum reſciſcere potui, in Templum Dianæ, quo nunc nobis iter eſt, ſeſe contulit. His auditis conditionem ſtatus præſentis mei, quam miſera

ea ſit,

ea ſit, facilè potes adſequi, quam junctim mariti ſuſpiciones & amici abſentia excruciant. Tum Marcelio: Gratioſa puella, magnâ me afficit dolorum tuorum hiſtoria condolentiâ, pudetque ſtupiditatis meæ, qui tale quid prius in te nõ ſenſerim. Numquam mihi contingat voto meo frui, ſi non pariter atque me ipſum, tuum animum participem deſideriorum ſuorum videre cupio. Verum quoniam non neſcis, quam nulli omnino parcere Amoris ſagittæ ſoleant, quamque parum illæ etiam fortiſſimas, liberrimas, & honeſtatis ſtudioſiſſimas mentes revereantur; ne dubites, aut detineare aliquo pudore vulnera tibi ab illo illata detegere, neque enim quicquam hinc inhoneſtius, aut turpitudinis alicujus ſuſpiciendum, famæ tuæ accedet; quin magis etiam à prudentibus cordata æſtimaberis. Mihi quod in hoc negotio conſolationi erit, hoc eſt, quod ſciam tormentum, illud quod propter Zelotypiam mariti tui te excruciat, (quod quidem nonnumquam atrocius ipsâ amati hominis abſentiâ afficere non ignoro) non nihil hoc tempore remiſſius eſſe, cum Delius tuus fugientem illam, quam dixiſti, puellam perſequi per-

gens, commodô tuô à custodia tui se removerit. Fruere igitur opportunitate occasionis, quam Fortuna favens tibi largitur, non enim parum te super absentia amati Sileni consolabitur libera illa à suspiciosi mariti importunitatibus libertas tua. Non mihi tam noxiæ, Diana respondit, suspiciones istæ viderentur, tamque intolerabilis zelotypia, modo, quæ Delii nunc ex parte veniunt, à Sireno oriundæ essent; quo pacto ego sane optimâ mente eas ferrem, sciens videlicet, & persuadens animo meo, Amoris eas scaturigine profluere. Certa enim utique res est, qui amat, eum amari desiderare, ita necesse est zelotypum super eâ re esse à qua amorem mutuum desiderat, sicque amans talibus suspectionibus gaudere debet, quippe, quæ clarissima sint Amoris signacula, eumq; semper sequuntur, & ab eo stipantur vicissim. Meo exemplo hoc tibi affirmare possum, nunquam me Amori magis obnoxiam fuisse, aut fidelius amasse, quam cum tali affectu occupatam me sensi. Hîc respondit Marcelio. Numquam putassem simplicitatem pastoralem sufficere posse argutiis talibus, tam prudẽ-
tibus,

tibus,& concipiendis, & proferendis, quales tu modo, omnium Gratiarum favore, prolocuta es, idq; tam difficili ſuper quæſtione,ut hæc omnibus nota eſt: Et abhinc jam erroris manifeſti condemnabo, quod vulgo pleriſque perſuaſum eſt, in ſolis civitatibus, aut Magnatum aulis, ingenia hominum inveniri acuminis vivi, poſtquam re ipsâ comperi atque edoctus ſum, in contuberniis ruſticorum, & ſaltuum opacitatibus, caſiſque, nullo artificio ſtructis, ſummæ ingenioſitatis puellas non deeſſe. Tamen prorſus ego opinioni tuæ iſti abſentio, eamque irritam argumentis facere poſſim, quà tantam amicitiam zelotypiæ & Amoris ſtatuiſti, ac ſi iſte nullo loco dominari poſſit, quo ſuſpiciones comites non inferat. Licet enim conceſſerim, paucos omnino Amatores ſine ſuſpectionibus iſtis reperiri, non tamen exinde concludi poterit, qui Amator ſit, zelotypus autem non ſit, eum non eſſe perfectiorem, & vero ſuo nomine digniorem. In hoc enim, liquidus & Purus Amor, valentiam pretiumque ſuum, & deſiderii abſolutam perfectionem magis demonſtrat, quod fæce illâ & ſcoriâ freneticarum

ſuſpitionum contaminatus non ſit. Talis ego eram tempore proſperæ felicitatis meæ, & tanti meum ob hoc affectum faciebam, ut multis carminibus publicè illum commendaverim: Semel cum Alcida mirari videretur tanto me Amore percipi potuiſſe, qui prorſus omni zelotypiâ liber forem, hoc ei Epigramma ſuper ſententiâ meâ ſcripſi.

Fama eſt, ſuſpicione malâ ſine, nuſpiam, Amorem
Iuraſſe, in vitam velle venire hominum.
Sic uti Forma, niſi Faſtu comitata, negavit
Venturam in mundum ſe quoq; Virgineum.
Nempe duæ hæ Furiæ, infernis de ſedibus, adſunt
Gaudia cuncta hominum frangere Triſtitiis.
Altera tormentis mutet bona dulcia Amoris,
Altera de Pietate almam animam ejiciat.
Periurus dicatur Amor, periuraq; forma,
In vobis, mea lux, inq; meo ingenio.
Hinc mea conditio fortunatiſſima Vitæ eſt,
Communi exemti ſorte vagorum hominum.
Namque, ex quo veſtri decoris fui ego admirator,
Nemo tam felix vidit Amoris opus.
Præcipuam ſpecie faſtu caruiſſe Puellam,
Me ſine ſuſpicione ardido Amore frui.

Tantâ ſuavitate affecit carmen hoc animum Alcidæ meæ, in quô videlicet liquido puri-

puritatem Amoris mei agnoſceret, ut mille vicibus amplius ei idem occentaverim, gnarus admodum eo audiendo delectari. Et, verâ veritate, Diana formoſiſſima, pro maximo errore habeo cenſeri mõſtrum tam abſurdum tamq; horrendum, boni alicujus loco, dum titulus illi talis datur, ut Signaculum Amoris perhibeatur zelotypia, neque eſſe cenſeatur præterquam in pectoribus verè amantium. Hac enim ratione Febrim poſſis bonam nuncupare, quoniam indicium vitæ ſit; numquam enim ea niſi in corpore vivo exſtiterit. Verum ambo iſta manifeſtiſſimi errores ſunt, quoniam non minus negotii, zelotypia, & ęgrimonię, exhibet mortalibus, quam quęlibet Febrium. Eſt enim peſtilentia animæ, phreneſis Senſuum, rabies, quæ membris poſſeſſis omnes vires eximit, Iracundia, Spirituum populatrix, Paviditas, quæ Animorum robur ignaviâ mutat, Furia, quæ Deſideria & voluntates hominum infatuat. Porrò, ut clarè videas quam abominabilis hæc bellua ſit, cauſſam ejus tecum expende, invenies nihil aliud eſſe quam turpem & ſtolidum timorem, rei quæ neque eſt, neque erit, vilem contemtum propriarum

virtutum, Mortiferam & virosam suspicionem, quæ in dubium vocat fidem & Bonitatem rei ejus, quam super omnes alias amas & desideras. Non possunt verbis satis cognoscendæ aut perspiciendæ præpingi zelotypiæ pœnæ, hæ enim tales sunt ut longè superent & post se relinquant omnia cætera tormentorum ingenia, quibus Amor comitatus venit. Hæc enim ad finem omnia possunt, & solent, admirabilibus suavitatibus, & Voluptatibus, mutari, non aliter quam sitis molestissima summo diei calore sapidiores latices facit, & bellorum furiæ, tumultusque, sequentem Pacis tranquillitatem commendatiorem reddunt; pariter dolores à Cupidine illati in causa sunt, uti amplius placeat Voluptas, quæ etiam à minuto quopiam favore Amati hominis proficiscitur, cum simplici puroque adfectui redhostimentum candidæ dilectionis aliquod reponitur. Istæ autem rabiosæ suspiciones, cordibus talia venena inspergunt, ut ab ijs inficiantur & corrumpantur omnes delectationes, quæ Amoris felicitas præmiorum loco elargiri solet. Huic proposito memini Lisibonæ, in Lusitania, audi-

audiviſſe cantari ab excellentiſſimo quopiam Muſico coram Rege illius Regni, hoc carmen.

Quando animum abſentis ſpecies percellit amicæ,
Mens bona ſe propriis paſcit imaginibus.
Scilicet hoc quod abeſt, bonum, & à bonitate cupitum,
Dulcius hoc ipſo, quando redibit, erit.
Spes mentem contrà Pœnas ſapientis obarmat,
Hæc jubet excelſo cuncta videre animo.
Omnia ita in finem mutabunt triſtia lætis,
Vt contenta velit mens ſuo Amore mori.
Mille unâ emendant ſeſe Pietate dolores,
Mille uno adſpectu delicuere mala.
At ſi ſuſpitio triſti mentem impete vicit,
Mille bona in pœnas mutat, & in rabiem.

O quam indubia imaginatio, quam certa opinio eſt iſta! Hæc quippe violenta zelotypię peſtilentia nihil penitus ſanũ in mente hominis, abs ſe occupati, relinquit, unde vel minimũ recreationis aut hilaritatis ad eum pervenire valeat. Non eſt in amore ulla animi tranquillitas, cum nulla eſt ſpes, hæc autem nequaquam cuiquam continget, cujus animum bellua illa inſederit. Nulla voluptas nulla delectatio ab hac ſecura eſt, nulla non per iſtã everti-

tur atque peſſumdatur: Nullum doloris, nullum ęrumnarum genus hujus admiſſione pectoribus humanis non invehitur. Eouſque amentiæ atque rabiei furor iſte evadit, ut homo, ſenſibus ſuis emotus, eam ipſam rem quam præ cæteris diligit, atque charam habet, laudari, & commendari ab aliis ferre non poſſit, neque idem quas ille amat, virtutes & Laudes ejus à quoquam perſpici atque æſtimari vult, maximoperè eô modô injurius meritis & dignitati ejus quæ Amore captivum eum detinet, pro homine ſcilicet æſtimatum nobilis ingenii, & Amorem mutuum merente. Neque ſolum zelotypi hoc genere dolorum lancinati vivunt, ſed & illis quas magnoperè alioquin amant, incredibilium mœrorum cauſas dant, perpetuis & irremiſſis ſuis ſuſpectationibus, qualibus quidem eas afficere non deberent, etiamſi pro capitalibus inimicis haberent. Hoc exinde elucet, quod quilibet malo hoc occupatus, in quorum numerum maritum etiam tuum pono, malit conjugem ſuam fœdiſſimam & deformiſſimam omnium mulierum eſſe, quam uti forma ejus conſpiciatur, mores & virtutes laudentur, atque commendentur ab homi-

hominibus quamlibet honeſtis, & modera-tiſſimis. Quid mulieri cordatę credis ægrimoniarum parere honeſtatem atque Pudicitiam ſuam videre continuis ſuſpicionibus gravari? Quæ Pœna illi ſit abſque omni merito ſuo, incluſam, abſconditiſſimis domus angulis & ſeceſſibus cuſtodiri atque obſervari? Quis dolor cor ejus concipilet atque differat, cum quottidie malis ſe verbis norit, aliquando etiam indigniſſimis verberibus, pulſandam atque exagitandam? Si hilaritatem quampiam animo ſuo indulſerit, maritus illico pro depudicata eam habebit. Si triſtior ei figura ſumitur, maritus odio conſpectus ſui frontem corrugari opinabitur. Si cogitaverit atque meditationibus ſe aliquibus dederit, malarum fabricarum ream aget; ſi aſpexerit ipſum, decepturam ipſa blandientis intuitus alacritate, credet; ſi vultum averterit, abhorreri ſeſe autumabit: ſi Amatoriis ipſum titillationibus tangere volet, fictis doloſiſq; aſſentationibus ſe circumagi finget; ſi gravem ſeſe atque honeſtam ſervabit, exprobari ſibi neſcio quid opinabitur: ſi ridebit, vanitatis & levitatis eam arguet, ſi ſuſpirabit, malam atque adulteram clamabit:

Summa quibuſcunque rebus ſeſe vitium hoc animi admiſcuerit, omnes ad unam in meros dolores tranſvertet, quamquam natura ſua omnino alienæ ab iis ſint. Hinc itaque omnibus rectè rem æſtimantibus, conſtare poterit, nullum totâ humanâ vitâ malum huic eſſe æquiparabile; neque aliæ peſtilentiores & fœdiores Harpyiæ orcinis Avernorum ſedibus umquam exierunt, dapes Amantium Animorum, ſuaviſſimas & puriſſimas, venenato ſuo tabo corrumpere, & mortiferâ ſanie inficere. Igitur neque tu, Diana, parum tibi felicitatis obtigiſſe cenſeas hâc ſperabili Delii tui abſentiâ; quæ ſanè non parum facit Pœnis, ab infelici Amore tibi oriundis, mitigandis atque allevandis. Reſpondit ad hęc Diana. Jam clarè cognoſcere incipio paſſionem iſtam, quam ſuis coloribus tam ad vivum egregiâ tuâ oratione mihi depinxiſti, præ cæteris deformem, turpemque, & abominabilem, eſſe, talemque, quæ non mereatur in Amantium animos ullatenus admitti, & videtur mihi eãdem hanc ægritudinem eſſe, quâ Delius meus laborare ſolet; Verum velim ſcias talẽ dolentiam non eſſe quam ego defendere

modo

modo volebã; hæc enim abſit ut in me umquam penetraverit. Numquam enim ego de dignitate & æſtimio Sireni mei ſenſi ſequius, neque talibus umquam affectionibus, & ſtultitiis, animum occupatum habui, quales tu ordine nunc & ex re ipsâ mihi recenſuiſti, ſolum hoc mihi curæ fuit, & hoc ſemper unicum metui, ne me præ aliâ aliquâ ſeponeret atque derelinqueret. Neque ſanè metus iſte me meus fruſtra habuit, re enim ipsâ ab eo deſerta, quid malorum mihi ferendum fuerit experta ſum hactenus, & nunc quoque experior. Metus hic talis, reddidit Marcelio, nequaquam tam immanis belluę nomine abs te cenſeri meretur, hic enim etiam optimos & bonafide Amatores, ordinario comitatu, ſtipare aſſolet. Res enim ipſa veritatem huic facit, quod amatum à me omne æſtimare & magni cenſere ſoleam, quodque omnino tali à me adfectu excoli mereatur, quali illud idem proſequor; Hoc igitur cum tale ſit, neceſſariò mihi metuendum erit, ne alius aliquis amabiliſſimam hanc ejuſdem bonitatẽ cognoſcat, amet virtutem, meritum magnifaciat, pariter atq; ego facio. Sicq; ſemper verus le-

gitimusque Amator medius est inter spem atque Metum; quod hic illi abnegare videtur, altera adest promittere, cum alter illi animum minuit, altera erigere atque firmare contrà adsolet: Ad finem, quæ vulnera illi infert Timor: sanantur Spei adsistentiâ; Duratque, ultrò citroquè variabilis hæc contentio, donec altera harum affectio superata, totis velut castris alteri cesserit; quod si contigerit à Timore Spem vinci, nascitur tamdem ex hac victoria zelotypia illa abominabilis, sin, & Spei profligatus ille fugerit, Amatori ex voto felicitas obtingit optabilis, & ipse hilaris fortunatusque vivet. Sic ego, in tempore felicitatis meæ, semper Spem tenui fortem atque confidentem, quam non solum numquam, Metus, subjugavit sibi, sed nec ullo umquam tempore aggredi, aut provocare ausus est; sic spei ego meæ fiduciâ tantum gaudiorum capiebam, ut non gravarer ejus respectu omnes cæteros, continuos quamlibet, dolores, bonâ mente haud gravatim sustinendos suscipere: Tamque mihi, Gratiis suis incomparabilibus, grata atque accepta erat, quæ Spes meas tanto robore semper suffundebat, ut nihil umquam tam

tam triſte, ab illa mihi illatum, advenerit, quod non pro lætifico atque optabili exantlarem. Opprobria ejus pro favoris verbis mihi erant, indignationes pro blanditiis, iracundas ipſius refutationes, pro amicabilibus habebam pollicitationibus. Hæc atque alia viæ tædio eximendo, dum iter junctim facerent, Marcelio & Diana, inter ſeſe ſermocinabantur: Jam & pratum illud floridiſſimum, dulciſſimis colloquiis delinientes ſeſe mutuò, evaſerant, & in valleculam clementem deſcendentes, amœnum quempiam ſalticulum inibant, ubi ſpiſſitudine ramorum, ſeſe alternè implicantium, atque complectentium, velut, tranquillam opacitatem umbroſæ PLatani faciebant: Illuc venientes audierunt ſuaviſſimam quamdam vocem, quæ, dulcedini lyrę beneſonantis attemperata, peregrinâ quapiam modulatione aureis attendentium advocabat; cumq; ad auſcultandum ſeſe compoſuiſſent, perceperunt Paſtoriam Virginem eſſe, quæ hunc in modum cantillabat.

Sidera ſtellimicante polo quot fulgida lucent,
Omnia me adverſis ignibus aſpiciunt.
Sic in humô omniparente, meis ſolatia pœnis
Quod dare ſuſtineat, nil, miſeræ, supereſt.

Captus Amor rigido, glacie mea corda, Timore
Mutat: iô immensi quanta catena mali!
Cui fortuna adeo est totis contraria Velis,
Absq; metu nullo momine vitam habeat!
O Montane, tibi culpam horum adscribo malorum,
O Pietatis inops, hæc tibi cuncta cano!
Quod si tu à nostrâ stares mihi parte; timere
Nō possim Fortunā, Astra, & Amorē, & Humū!

Post decantatum hoc carmē, misera Puella, omnibus velut frænis planctui atq; doloribus immissis, tantum lacrymarū oculis depluit, tam tristificis gemitibus ærumnabile pectus suum concussit, ut ex horum gestibus, & interspersis à dolente verbis, facilè cognoscerēt Marcelio & Diana caussā mœrorum ei esse ludibrium, quod zelotypus illi maritus intulisset. Igitur ut certius rem perdiscere possent, simul puellam ipsam agnoscere, & caussam ab eâ exquirere, gradum ad illam contulerunt; offenderunt tum ipsam Umbraculis arborum densissimis sibi latibulum amœnū exquisivisse, considentem super mollium herbarum torum, juxta fonticulum hilarissimum, qui, à vepretô proximô suaviter rivum agens, ambiguis gressibus per universum illum saltum, viridia gramina irrigans,

rigans, decurrebat. Salutem ergo illi maximâ civilitate dixerunt; at illa, quamquam moleſtiâ afficeretur planctum ſuum interturbari, tamen ex aſpectu conjecturam ducens, mereri illos honorem non vulgarem, non tantoperè ſuperadventu hoſpitum angebatur, quin videretur ſocietatem ipſorum prolixo animo expetitura; ſic igitur locuta eſt. Poſtquam à crudeli meo conjuge deſerta ſum, idque abſque omni meo merito, non memini mihi, optimi hoſpites, quicquam oblatum quod delectabilius animum meum afficeret, quam vos iſtum locum advenientes modo conſpicari: Et hoc quidem eô modô, ut nolim abnuere, quamquam fortunæ me adverſitas perennibus planctibus condemnaverit, tantum de triſti hoc meo luctu mihi remittere, uti exoptabili veſtrâ converſatione frui paulliſper poſſim. Tum Marcelio: Numquam ſuper meis malis ullam conſolationem capiam, niſi pariter tecum tua me movent, uti re ipſa experiri coram poteris; Idem tibi quoque de formoſiſſimâ Dianâ ſpondere, tutâ fide, poteris, quam hic in comitatu meo vides. Audito puellæ nomine,

Dianam videlicet illam esse, expansis brachiis in amplexus ejus, hospita, cucurrit, mille modis studium eius gestibus & oratione declarans, quippe multum temporis erat elapsum ex quo illam cognoscere optaverat, cujus laudes tantoperè ab omnibus prædicari audiverat, nullam scilicet vel formâ vel sapientiâ longè lateque hac conspectiorem reperiri. Diana vero attonita velut mirabatur ab ignotâ puellâ tantis sese civilitatibus honorari, tamen non minus sese comem exhibens, paribus gratiis illam remunerabatur, cupiensque nomen & fortunas ejus scire, ita eam allocuta est: Insignis tua civilitas, quâ tantum mihi cultus & Amoris demonstrasti, accedente condolentiâ super ærumnis tuis, quam pectore jam dum meô concepi, faciunt summoperè me desiderare status tui notitiam: Bonum itaque factum erit recenseri abs te nobis nomen, & fortunas tuas, videbis parata nostra pectora partem malorum tuorum in sese recipere, oculosque lacrymis tuis suas subjungere velle, ut ea ratione leviora tibi eorum omnium fiant pondera. Diu multumque anquisitis verborum suavitatibus excusabat sese altera, ne ne-

ne necesse haberet ingredi de novo narrando pelagus infortuniorum suorum, ad finem tamen victa instantibus & inremissis Dianæ sollicitationibus, postquam in relictam sedem suam super molli herbarum toro sese retulisset, ita sermonem rerum suarum orsa est. Ex relatione Silvagiæ, quę, de pago patrio meo oriunda, in tuo habitat, nupta pastori Silvano, Diana formosarum decus, credo te aliquando nomen meum inaudivisse; infortunatæ nimirum Ismeniæ, quæ nunc ærumnarum suarum ordinem tibi enarrare incipit. Certè puto illam omnem tibi eam historiam recensuisse, quomodo ego in templo Minervæ, in regno Lusitaniæ, larvâ artificiosè compositâ vultum tegens, illam luserim; & quo pacto propriis meis dolis ipsamet illusa recesserim. Enarraverit tibi etiam, credo, ut ego vindicare me ab injuriis perfidiosi illius Alanii studens, qui neglectâ me, & oblitâ, illam amare tũ occœperat, capitalem ejus inimicum Montanum diligere simulaverim; utque simulatio illa mea in summum verumque Amorem exiverit, postquam virtutes Montani penitius mihi cognitæ fuerunt; qui quidem Amor, omnium

poſteà mihi ærumnarum unica cauſſa eſt factus, fons omnium mœrorum meorum, uti exactior recenſio vos certiores dabit. Igitur, hinc ordinem curſumque Vitæ meæ proſequens, ſcire vos facio, patrem Montani, Filenum vocabulo, poſtquam crebris vicibus, certorum negotiorum ſuorum gratia, domum Patris mei frequentaverat, habebant quippe de grege oviū quodam vendundo tractationem, neq; inibidem viderat, quamquam ætate foret provectior, tanto tamen mei amore perceptū fuiſſe, ut penè ſenſus ipſos amiſerit. Millies me amplius rogabat ſenex, cōdolerem aliquà doloribus ſuis; quottidiè augmenta eorum mihi recenſebat, nihil vero boni à me reſponſi impetrare umquam poterat; Quātumvis enim annis florentior, & omni genere virtutum perfectior fuiſſet, numquā tamen ejus gratia Amorem, in Montanum conceptum, filium ipſius, animo meo vel tantillum moviſſem. Ignotus penitus ſeni Montani erga me mutuus affectus erat; quippe tantum is patrem ſuum reverebatur, tantâ illi obedientiâ addictus erat, ut omnia pateretur & faceret; modo ne quippiam hujus illi innoteſceret; timens aſperis

aſperis ab eo verbis ea propter caſtigari. Pariter etiam contrà incognita erat Montano Patris Fileni ſtultitia, & hîc quippe ut eo prõtius & meliore occaſione reprehendere errorum ſuorum filium poſſet, quam ſtudioſiſſimè occultabat talibus ſeſe, vel etiam majoribus, ipſummet peccatis eſſe obnoxium. Intereà numquam ceſſabat, amore inſaniens Senecio, importunis ſuis ſollicitationibus mihi moleſtus eſſe, uti annuerem ipſi matrimonio jungi. Multa millia mihi amatoriarum blanditiarum quotidiè ingerebat, multa donaria, veſtitui atq; ornatui, pollicebatur, multas, ſuper Amoris rebus ſcriptas, ad me Epiſtolas mittebat, vincere, omnibus machinis propoſiti mei pertinaciam laborans, & blandiendo duritiam ſuperare. Erat alioquin tali ingenio, uti inter paſtores juvenili ſuâ ætate omnibus dotibus eminuerit, eloquẽtiâ, ſapiẽtiâ, intellectu, & judicio, æqualium ſuorũ perpetuò primus. Ea omnia uti melius credere habeatis, recitabo jam vobis Epiſtolarum illius unam, quam ad me aliquando ſcripſit; quæ, quamvis imbecillior erat quam ut tenaciſſimũ meum propoſitũ expugna-

re valeret, summoperè me tamen afficiebat, hunc in modum concepta.

Cui culpa nulla amandi est,
Iubet hanc Amor subire
Vt scriptitem tibi istam
Epistolam, ô Puella.
Molesta si tibi ista est
Scias velim, severe
Responsionis ergò
Me commori timendo.
Plus millies dolores
Meos tibi elòcutus,
Nil inde rettuli, quam
Illusionum acervum.
Rides gravi cachinno
Mori me Amore cernens,
Ego gaudeo videns te
Ridere, vel mei ergo.
Lætam meo dolore
Te sussilire cernens,
Disco, tibi esse cordi
Nihil meos Labores.
Medicamen ista nullum
Spondet mihi luela,
Nec spero tale, Mors mî
Manu in tuâ sequenda est.
Nuper tuos Leporeis,

Ad Duriæ fluenta,
Alacritate campos
Omnes beare vidi.
Baculum super reclinis,
Deserto in arboreto,
Cervice nuda tótâ,
Nudis eras lacertis.
De marmore apta duro,
Adamantina ipsa corda
Amore de tuo uri
Ratio ipsa nos docebit!
Hinc, te videns, amando
Insanio ipse, nec mî
Datur ulla paussa, porrò,
Immanium dolorum.
Si perditum putas me
Aetatis hoc amantem,
Noli monere quicquam;
Medicare me, hocce posco.
Non error ille noster
Est, quod te amem senex, sed
Quod non prius sim adorsus,
Enormis illa culpa est.
Novi senem esse me, sed
Majus malum mihi inde est,
Quod pœna nostra non tot

Annos, quot ipse, gestet.
Velim te amasse primâ à
Nativitate nostrâ,
Vt nunc, semel cupitam,
Amabo, adusque mortem.
Canos quid objicis mî?
Quod serius quis adsit,
Idcirco nemini umquam
Locus suus negatur!
Sis tu licet prior me,
Non est tamen probandum
Aetate militem altâ
Spoliarier brabiô.
Constructio ædium horna,
Licet magis recens sit,
Idcirco comparanda
Non est tamen vetustæ.
Cum sermo de valore, &
Pretiositate rerum est,
Quottidiè audio omnes
Laudare malle priscas.
Nil intulit mihi usque
Mali Amor, meam hanc senectam,
Cum firmitatem in istis.
Vigere nosset annis.
Vigens in hoc manebo

Te semper ut Amem, sed
Senex in hoc putabor,
Abhorrear quod à te.
Iuventus illa, amare
Duplici sueta corde est,
Vivunt magis vigentque
Cum se mori fatentur.
Variabilis jecorum, &
Ludibriorum, ea ætas,
Pro more, non Amore
Vos ductitat, Puellæ.
Ne me putes amare
Pueri ut solent; recepto
Qui quopiam favore,
Iactant eum obvio omni.
Tam petra, ego, trecentos
Nactus tuos favores,
Ero tacendo, quam nunc
Tormenta sum ferendo.
Verum ut tibi ipse fixam
Video meam esse mortem;
Sic multa ferre cogar,
Habebo nil tacendum.
Sic maximus tuorum
Erit hic mihi favorum,
Moriar, queam ut querellis

Tamdem invenire finem.
Tempus, dolori amicum,
Accuso, te, quod illi,
Qui plus tui tenet, nunc
Minus est, Amor favendo.
Serò te amare quivi,
Ratio ergo iusta monstrat,
Non natus ipse tecum
Pro te mori requiro.
Si, tempore in tuo, ætas
Me procreasset una,
Quid mî deesset, ut te
Lubitu ex meo potirer?
In ductileis choreas,
Vocis, Lyræque cantus,
Nemo meo Lepöri
Certaverit sodalis.
Quid Amphiona priscum
Metuam, placente cantu?
Superare doctiores
Memini me in hâc senectâ!
Spaciosa rura nostris
Gregibusq;, agrisq;, parent,
In montibus remotis
Armenta nostra pascunt.
Sed quid iuvare possit
Quod est fuitque rerum,

Oblivio-

Oblivione iam dum
Præmortuum & ſepultum!
Sed & hæc, puto, valebunt
Te mitigare quondam,
Cum forma, te, illa forma
Reliquerit ſuperba!
Vt petra dura dura es,
Sed ingruens ſenecta,
Faſtum tibi hunc ferocem
Gaudente tum exſuet me!
Sic quippe Amor ſolet vos
Vlciſcier, dolorum
Diris premit catenis,
Cum Spes relicta nulla eſt:

Hanc, aliaſque multas, mihi, tam Epiſtolas, quam cantilenas, mittebat, quæ omnes ſi tantum mei movendæ valuiſſent, quantum delectandæ poterant, ille beatus, ego malè nupta exiiſſem. Verum nulla omniũ rerum ſufficiens erat tollere de corde meo imaginem deſideratiſſimi mei Montani, qui, quantum ex ipſo cognoſcere poteram, reſpondebat adfectui meo paribus verbis & operibus. Hac, hilaritatis ubere, Vitâ aliquot annorum ſpatia emetiebamur, donec viſum eſt nobis laboribus noſtris mutuo defungi, honeſto & caſto inito

matrimonio: Et quantumvis Montanus priusquam uxorem me duceret, rem cum patre suo communicandam & deliberandã arbitraretur, uti decebat filium, benè educatum, & parentis amantem, ego tamen exemi id ei consilium, docens, minimè cõsensurum Filenum illis nuptiis, qui aliud nihil fatuis suis amoribus quæreret, quam uti ipse mihi maritus fieret; igitur, eô majorem vitæ suæ rationem, quam Obedientiæ erga parentem, ducente, absq; Fileni interventu, nuptiæ inter nos effectum habuerunt. Gesta res est ex consensu mei Patris, cujus domi sollemnia coeuntis matrimonii, maximâ festivitate, & pompâ, transacta sunt, adeo quidem ut celeberrima eorum fama omnes tam propinquos, quam remotiores etiam, pagos perveheretur. Cum resciviisset vero, Amator noster Senecio, proprium filium suos ipsi insedisse Amores, tã tam in insaniam abiit, tantâ in me & Montanum iracundiâ exarsit, ut utrumque instar mortis ipsius abhorreret, & numquam post oculis dignaretur admittere. Ex alterâ parte puella quædam alia, pastoria, ejusdem pagi incola, nomine Felisarda, amore Montani mei contabescens, quam contrà

contrà ille (erat quippe in me propensior, & illa neque annis jam neque aliâ quâvis virtute commendabilis) repudiaverat, cum me illi matrimonio iunctam videret, dolore & invidiâ differebatur. Hac quidem ratione Nuptiæ nobis nostræ duos Capitales inimicos confecerunt. Maledictus igitur senex ut hæreditate paternâ filium interverteret, conclusit iuvenem mulierem uxorem ducere, uti sobolem ex ea tollere posset: At, quamquam opulentissimus erat, nulla tamen toto nostro pago illum coniugio dignata est, præter Felisardam istam, quæ ut occasionem sibi conficeret, inhonestô modô, Montani mei complexibus fruendi, cuius desiderium semper recenti apud eam memoria erat, senem maritum adscivit. Jam dudum nuptiæ factæ erant, cum compertum mihi est sollicitare illam concubitum mei mariti, conciliatrice ancillâ quadam, tali dominâ digno mancipio, Silveriâ nomine; hac ministrâ ipsi fidem fecit, si pateretur gaudium ex se carpi, daturam illam operam, ut patri suo reconciliaretur, alias insuper magnarum illi rerum pollicitationes faciens; quæ

omnia minus nihilo animum hominis cõmovebant, neque quicquam intensum ejus in me Amorem convellebant. Hac ratione se contemni ægre ferens, impura mulier, ferali odio in Montanum exarsit, & nihil abinde omisit, quo patrem ipsum etiam majori in illum iracundiâ incenderet; neque his contenta, abominabile scelus evertendis ambobus nobis commenta est. Non destitit, promissis, donis, blandimentis & palpationibus, tali modo obnoxium sibi reddere animum Silveriæ, ut cuivis imperio suo audientem illam haberet, etiamsi contra ipsum Montanum aliquid audendum foret, quem alioquin maximi faciebat Silveria, ex quo in paternâ ipsius domo multos annos servitutem servierat. Duæ hæ mulieres secretim concluserunt quid facto opus foret, puncto temporis præstituto, cum scelus in effectum producendum esset: Confestim tum prodiens pago Silveria, ad ripam Duriæ fluminis, ubi tum temporis ovium gregem pascebat Montanus, valdè ipsum secretim allocuta est, valdè præ se animum turbatum ferens, ut referret hominem magni ponderis negotium tractaturum, in hæc verba. Ah me, ami-

amicissime mi herilis, Montane; quam tu sapienter sapuisti abs te spernens Amores Novercæ tuæ malignissimæ, Quod si ego te ad eos invitare aliquando volui, non alio fine feci, quam tædio importunarum ejus exactionum: Jam vero, gnara eorum quæ geruntur, nequaquam, cogi me patiar, ut turpibus & impuris illius libidinibus aliquâ ex parte ego conciliatrix intercedam. Scio ipsius facinorum aliqua, quæ rerum vestrarum apicem concernunt, talia quidem, uti si tu ea juxtà mecum nosses, licet immanis sit in te patris tui crudelitas, non posses tamen quin honorem ipsius, vel interpositâ Vitâ tuâ, vindicares. Nihil horum tibi amplius dixero, quem tali prudentiâ ingenioque novi, ut neque verbis neque operibus officii tui admoneri opus habeas. Attonitus horum auditu Montanus nonnihil suspicionis de Impudicis novercæ libidinibus animo concepit; Igitur ut omnem rem clarius edoceretur, Silveriam rogat, ut, quicquid horum sciret, bonâ fide, sibi enarret. Diutius se rogari passa mulier, ne fucus pastori oboleret, simulavit non esse suum, rem tam secretam cuiquiã manifestam facere. Ad finem tamen precibus ejus se vi-

Historia hæc Cnemonis ex Heliodoro videtur.

ctam ferens, quod cupida erat ipsi narrare, post flagitia tamdem non pauca, composita mendacia, dolosque scitè fictos evolvens, hunc in modum edisseruit. Quoniam res hæc ejus ponderis est, & tam propè honorem tuum lædit, domumq; & familiam heri mei Fileni, contumeliâ tantâ afficit, tantumq; tui interest, mecum eius te notitiam habere, enarrabo tibi, quicquid erit, clarissimè, confidens taciturnitati tuæ, nemini effutiturum à me auctrice ad te notitiam eius pervenisse, quod tam secretè domi vestræ geritur. Scias itaque Felisardam Novercam tuam proditorio animo in Patrem tuum Filenum esse, & adultero concubitu misceri cum Pastore quopiam, cuius tibi nomen edicere parco, quoniam aliunde nullo negotio eũ cognoscere poteris; Quod si ista proximâ nocte venire voles, &, quorsum ego te ductura sum, intrare domum paternam tuam, deprehendes utique, in re præsenti, adulterum cum proditrice in thalamo ipso parentis tui: Sic ad imminentes tenebras res consponsa est, Filenus enim hac vesperâ dormitum ad caullas suas proficiscetur, propter negotia quædam il-

linc

hinc nunciata, neque revertetur demum usq; in crastinum meridiem. Igitur, benè te omnibus necessariis rebus instructum, Undecima noctis hora domum nostram age; ego te inducam eo aditu, ut facilè possis efficere, quod honorem Patris tui poscere videbis, simul etiam fortassis hoc medio amissam illius gratiam recuperare. Hæc Silveria tam promte, tam in rei Veritatem compositis, vultu & gestibus, prolocuta est, ut Montanus concluserit qualicunque etiam periculo sese objicere, ut vindictam sumeret ab adultero, tali contumeliâ Parentem suum afficiente. Sic, proditrix illa Silveria, contenta talibus initiis dolosæ fabricæ, quam â Felisarda expediundam acceperat, domum suam reversa est, Heræ suæ omne negotiū referens, quo pacto videlicet, horâ præstitutâ, Montanus adfuturus esset. Jam obscura nox velum suum rebus obtenderat mortalium, cum Montanus, grege nostro domum reducto, pugione sese armat quem á Patruo suo Palæmone hæreditarium habebat, & ad domum paternam confert; cum primum undecimam noctis horam audivisset; illic ad fores exspectabat Silveria, uti con-

ventares erat. O proditio numquam visa; ô malitia numquam antehac cogitata; capit manu hominem credulum, mendacissimum prostibulum, & maximâ tranquillitate scalas illum adducit, donec ad ostium cubiculi, quo Filenus Pater cum Felisardâ novercâ cubabant, cõstitit: Tum ad illum; Jam, inquit, Montane, me duce, in eum locum pervenisti quo demonstrare debes si quid roboris animo tuo inest, quod tali casu requiritur. Intra cubiculum hoc, intus illud, invenies novercam tuam adultero concubantem. Cum dicto abstulit se illinc, quantâ poterat celeritate fugam capessens. Montanus deceptus scelestissimo mulieris astu, fidem omnibus ejus dictis adhibens, animum ad pugionem vaginâ eripiendum obfirmat; impetu manuum pedumque ostium cubiculi proturbans, inusitatam iracundiam vultu præferens, cum vehementissimâ vociferatione irrũpit clamitans, Hîc jam tibi manibus meis dignus factis tuis exitus dabitur, impure nebulo; hic finem debitum sortientur Amores in Felisardam tui. Hæc clamitans, instar insani & furiosi hominis, neque agnoscens hominem, qui in lecto erat, ictum adultero infer-

inferre conatus, jam brachium extollebat, patrem ſuum pugione parricidali confoſſurus; cum Fortuna tamen proſperior tanto ſceleri innocentem obligare noluit, voluit vero ut Pater ſenex ad lucernæ lumen jam elanguidum agnoſceret tamen filium ſuum; Ergo, offenſum aſperis verbis & factis ſuis, tali ſeſe modo ulciſci velle ratus, quam maximè poterat, celeriter lecto proſiliens, manibus complicatis, ſe ad pedes ejus abjicit, huncin modum ſupplicans. O Fili, quæ crudeles te intemperiæ agitant, ut velis, carnifici manu, ætate confectum patrem tuum vitâ exſuere? Revertere in ſenſus tuos, per Dei benignitatem; ne effundas jam ſanguinem meum, neque vita me, parricidali manu, exſpolies. Quod ſi ego te crudelius, quam par erat, habui, aſperioribus verbis caſtigavi, hic jam flexis poplitibus tibi ſupplico, ignoſcas ſenectuti ignoſcas canis his meis; ego tibi viciſſim ſpondeo, tam benignum, tam comem patrem deinceps me habebis, quam nemo alius uſpiam fuerit. Montanus tum, agnitâ deceptione qua irretitus erat, quamq; proximus periculo parricidalis ſceleris fuiſſet, tantum animo deliquium paſſus eſt, ut ro-

bur omne mentis & brachiorum simul procideret, pugio ipse, ab ipso minimè animadversus, manibus pronus elaberetur. Ita stupor atque Dolor animum attonuerant, ut verbum ullum emittere non valeret, quin tacitus, properans, confusus, & externatus, cubiculo se ejecit; domoque ipsâ aufugit, haud dubiò dolo illo pessimæ Silveriæ etiam pejora passus, nisi felicior fuisset. Scelus ipsum novercale, Felisarda, omnia, uti eventura erant, ab Silveriâ prædocta, Montanum irrumpentem videns, lecto proripuit, & alio, quod penitius in ædibus erat, cubiculo se intulit, accuratè occludens ostium, ut quocumque etiam rei exitu, ipsa tamen à privigni furiis in tuto foret; Cum autem jam procul omne, fugâ Montani per campos periculum esse cerneret, reversa, ubi Filenus erat, totus adhuc pavore præteriti discriminis pavens, tremensque, patrem in filium instigare cupida, falsis fictisque attestationibus me premere institit, grandibus exclamationibus hunc in modum locuta: Jam demum credere potes notiorem tibi filii tui impietatem esse debere, Filene conjux, & re ipsa tamdem

dem intelligis, quam vera ego tibi de pravis ipsius affectibus; & animo perfido, toties præcentavi. O parricida; ô Latro detestande. Montane quomodo cœlum te aurâ vitali dignatur? quomodo terra, ruptis hiatibus, te non obglutit? Quomodo feræ te non dilaniant? Quomodo universa hominum gens te nõ persequitur in meritam necem? Maledictum sit matrimoniũ tuum; maledicta ergà parentes nos refractaria inobedientia tua! Maledicti exsecrabiles tui Amores, maledicta; fons omnium malorum, Ismenia tua; quæ quidem absq; dubio horsum te impulit, ut humano exuto animo, bruto & bestiali furore; patricidii facinus conciperes! Non tu potius, perfide, scelerũ caput; Alanium ultus es, qui cum conjuge tuâ tuo incomparabili dedecore; tuâque summâ cum infamiâ, Voluptuatur; quem illa longè te potius amat; tu vero occidere voluisti; senectâ ætate, Patrem tuum; qui tantoperè semper de Vitâ & bonâ existimatione tuâ sollicitum animum habuit! At quâ de causâ, scelestе? Quia verbis te castigavit, quia ammonuit, quoniam consiliarus est optima; ideo eum

interimere contendiſti? Ah infelicem Parentem, ah infortunatam caniciem, ah afflictam ſenectutem; quid, miſer, tantum admittere potuiſti, ut filius te tuus manibus ſuis occiſum adeſſet? Ille, quem tu genuiſti, quem educaſti, foviſti, pro quo mille cordolia & labores exantlaſti? Conforta jam deinceps cor tuum & obdura, ceſſet paternus tuus in ſceleroſum affectus, trade locum juſtitiæ, patiatur debitas parricidio pœnas, ut ne, exemplo hoc infandæ impietatis impunito, timore omni poſito, inobedientes parentibus filii paternis capitibus imminere diſcant, iſte autem tuus quod jam fato quopiam ferrum manibus excutiente, potuit, aliâ occaſione conficiat, tu miſerrimâ morte ad inferos eas. Anxietate animi jam ſemimortuus, jam corde, timore & indignatione, ſuſſiliente, Filenus, has uxoris ſuæ, inſtigatrices in filium, voces audiens, conſiderans ſimul immanitatem ſceleris, ab eo tentati, tanto odio ejus incendebatur, ut, pugionem humo tollens, quò miſero Montano, alia omnia molienti, exciderat, uti dictum eſt, vix ſummo exſpectato diluculo, Juſtitiæ præſides, & omnes primores Pagi incolas con-

convocat, in medium forum procedens; cumque jam frequentes conveniſſet, infinitis lacrymis & ſingultibus ſeſe differens, ita eos allocutus eſt. Deum immortalem teſtem invoco, optimi & eximii Paſtorum, tantum me excruciari eô quod vobis, huc coactis, enarrare opus eſt, uti certò metuã ne priuſquam finem orationi meæ impoſuero, Anima afflicta ægrum corpus deſtituat. Nemo me pro crudeli aut ſanguinario habeat, quoniam publicitus hîc recenſere maleficia filii mei volo, illa enim tam inaudita, atque inhumana, ſunt, neque mihi pœnarum ſatis eſt ad caſtiganda illa privatim, ut coactus, ea ad concilium veſtrum feram: vobis ea propoſiturus, cognituris quid jure illi inferri pœnarum conveniat, ut utile inde emendandis malis moribus exemplum ſtatuatur. Nemo ex vobis non novit quantâ curâ atque ſollicitudine quibus in deliciis illũ educaverim, quali amore proſecutus fuerim, quibus illi pectus bonarum rerum doctrinis, imbuerim, quid pro illo laborum exhauſerim, quibus conſiliis illi adfuerim ſemper, quam miti & verè paterno animo errantem concaſtigarim. Invito, & ingratiis meis, in uxorem duxit

Iſmeniam, cujus ergò quoniam verbis eum reprehenderam, Alanium qui, ut univerſa hæc paſtorum civitas novit, cum ipsâ illâ Iſmeniâ ipſius inhoneſtè vivere non deſinit, mulctare debens, iracundiam ſuam, impiam & ſceleroſam, in me convertit, me, me, intra domum nativitatis meæ, geniali meo lecto, cum uxore decubantem, interficere voluit! Præteritâ hac nocte aditum clam ædes meas emolitus eſt, ut in cubiculum meum penetraret, me, dormientem ad latus Feliſardæ meæ, obtruncaret. Eccum vobis devaginatũ pugionem, quẽ, parricidio miniſtraturum, attulit; Et feciſſet ſanè quod volebat, egoque vobis, optimi Paſtores, conciveſque, cognatique, mei, in ſanguine meo jam, filii manibus cõfoſſus, oppetiiſſem, niſi Deus, improviſô pavore immiſſo, vires ita brachiis ipſius cœlitùs incîdiſſet, valentiam nervorum parricidalium ſic ſubito contraxiſſet, ut attonito ſimilis, & animum linquenti, prociduô in pavimentum ferrô, non effectô tam horrẽdô facinore, cubiculô ſe proripere, & in malam rem aufugere coactus, velut Furiarum facibus perſequentibus, fuerit. Hoc eſt quod re ipsâ hodiè

domi

domi meæ contigit, uti vos melioribus circumſtantiis plenius amata mea conjunx edocebit. Ego, ut qui certo ſciam Montanum, filium meum, nequaquam abſq; conſiliis & inſtigatione Iſmeniæ, illius egregiæ uxoris ſuæ, tam atrox flagitium animo cōcepturū fuiſſe, vobis ſupplico, vos precor, circumſpiciatis, cum animis veſtris expendatis, quid tali negotio fieri conveniat; uti filius meus impiæ & abominādæ hujus audaciæ ſuæ pœnas meritas luat, neque falſaria illa, & perfidioſa, Iſmenia, fruſtrà conſiliis ſuis maritum in hæc adegerit, aut torum conjugalem ſuum impudicis Alanii Amoribus tanto jam tempore contemeraverit. Nondum ultima orationis ſuæ verba Filenus edixerat, cum populus paſtorum, ingenti tumultu per univerſam concionem ſublato, immani murmure, tam atrociter in parricidium prę ſentarium indignari cœpit, ut totus pagus fundo ſe evertere velle videretur. Alteratis, univerſi omnes, indignitate rei, animis horrēda ſupplicia in pœnā Mōtani meditabantur, mortem ejus omnibus votis concludentes. Alii eū lapidibus obruendum cenſebant, pars, piacularē hominem, cōfiniis exportandū, &, quà pro-

fundissimus flueret, Duriç præcipitem pessum dandum, opinabantur, alii immanibus ferarum faucibus, dilaniandum, præjiciendum; summa, nemo tota concione non novis & inusitatis suppliciis è vivorum numero tollendum sciscebat. Nec minus in meum dispendium illos movebat, quod de incestis meis Amoribus, (quamquam aliter se rem habere nemini ignotum foret) & consiliis parricidalibus, Filenus dixerat. Sed effera plebs tantâ iracundiâ, tantô furore animorum in Montani pœnas exarserant, ut obliviscerentur maximam mearum criminationum partem. Montanus, cum rei gestæ pro cõcione, ordinem intellexisset, quid pater suus proposuisset, quid pastorum primores decisum vellẽt, quibus modis tumultus sententiarũ in capitalem suam pœnam consedisset, maximâ vitæ desperatione perceptus est; Ex altera parte de meis etiam rebus, quid à patre relatum fuisset, comperiens, tanto dolore animum suum afflixit, ut infandior nec cogitari quidem valeret. Hinc oriunda omnis malorum meorum series, inenarrabilibus me miseriis mœrorum conficit, hæc caussa perditionis

ditionis ultimæ meæ fuit, hinc, ceu fonte perenni, omnis dolorum meorum ſcaturigo, profluit. Chariſſimus enim ille mihi, ille amatiſſimus mihi, Montanus meus, ad animum revocans, elapſo me tempore amaſſe, & ab Alanio viciſſim cupitam eſſe, ſciens ſæpius reviviſcere & reſuſcitari, velutè conſopitis cineribus, interſtinctos jam exſpiratoſque Amores, videns inſuper ante oculos ſuos quotidiè Alanium mei deſiderio flagrantem, quem ipſius cauſsâ ego repudiaveram, omnibuſque modis ſtudia ſua mihi probare ſatagentem, ſuſpicione credulâ eorum quæ à Fileno pro concione dicta erant, ablatus eſt; quoque magis rem expendit, eo pro veriore habere cœpit, donec planè certam illi crebra imaginatio præfinxit: Adeò quidem ut ad ultimum, efferato animo, deſperabundus, tum propter infelicem Silveriæ machinationem, tum quod me illam in ſe fabricam ſtruxiſſe autumaret, etiam de adulterio meo fictitio ſeſe non explicans; Pago penitus noſtro profugerit, in exilium abierit, numquam poſt illum diem à nobis ſit viſus: Ego, edocta abitum ejus, cauſſamque, ex relatione aliquorum de paſtoribus, amicorum ipſi,

quibus omnem ſeriem perditionis ſuæ enarraverat; domo & ipsâ villâque exceſſi, inquiſitura eum undique, neq; dum ullus me ſpiritus vivam non deſtituet, interquieſcam, quin dulciſſimum, & exoptatiſſimũ, conjugem meum, invenerim. excuſationes meas & innocentiam tantorum ſcelerum ipſi ediſſertura, quamquam & manibus eius mihi pereundum poſtmodò fuerit. Longum jam tempus, peregrina, huic negotio hinc inde vagor; at, nullum non inſigniorem pagum, nullam non in iis conſpectiorem domum emenſa, tam tamen hactenus infortunata fui, ut nec ultimum indicium eius uſpiam inveſtigare potuerim. Maxima quæ toto eo mihi tempore conſolatio obtigit, eſt quod biduo poſtquam pagum noſtrum reliqui, incidi, in valle quapiam, ſceleratiſſimam illam Silveriã; quæ, intellecto voluntario Montani exilio, pœnitudine malè exeuntis commenti ducta, illum & ipſa inquirebat, narratura rei veritatem, & veniam ab illo flagitatura tam atrocium iniuriarum. Neque dum autem illum uſpiam indagaverat, & cum me videret, apertiſſimè omnem ſcelerum fabulam mihi aperuit, unde magnum malis

meis refrigerium ſubortum eſt, quæ eouſque penitus ignoraveram, quo pacto negotium geſtum, aut infortunium illud domui noſtræ illatum eſſet. Fateor, volui ſceleſtam mulierem manibus meis interſtinguere, quamquam & ego imbecilla mulier-cula; neq; alia id de cauſſa effectui dare intermiſi, quam quod ſola illa remedium miſeriis meis dare poſſet, confeſſione malitiæ ſuæ. Rogavi ergo illam nullam celeritatem aut diligentiam omitteret inquirendi mecum Montani mei deſideratiſſimi, ut quamprimum Veritas negotii ipſi innoteſceret; ſicque illam reliqui, alio itinere ad indagationem mariti profecta: Hodie jam ſaltum iſtum appuli, ubi, invitatâ amœnitate, & frigiditate loci, aſſedi, meridiei fervorem exemtura, &, quoniam conſolationi meæ, Fortuna, favens, huc eodem vos quoque adduxit, ego gratas ipſi gratias tanti favoris ergo memini, vos autem obſecro atq; obteſtor, uti, quoniam jam ferè medium Cœli ſpatium Solis curſus tenet, ſi impetrari poteſt, ſuaviſſimæ me ſodalitati & converſationi veſtræ admittatis; dum diei calor deferbuerit, qui hoc maximè tempore ardentiſſi-

mus esse solet. Singulari affectu hæc historia audita Marcelionem & Dianam affecit, Ismeniæ malis apprimè condolentes. Prolixis igitur illi, ob narrationem tam gratam, gratiis redditis, aliquibus illam pro re natâ argumentis consolati, omnia quæ possent, succurrendis ipsius mœroribus, ex se proficisci, obtulerunt promtissima. Ad extremum invitare illam instituerunt ad consortium itineris versus domum Feliciæ, Sapientis illius, posse contingere, ut illic ipsa quoque aliquid solatii inveniret. PLacuit itidem illic considere, donec meræ diei fervor in vesperæ viciniam decrevisset, quod Ismenia ipsos rogaverat. Verum Diana, uti erat maximè omnium illius regionum gnara, omniũ saltuum, nemorum, fontium, Locorum denique amœniorum, & umbrosorum, decora in numerato habens, avertit animos, perhibens in proximo isthîc locum esse longè amabiliorem isto, illuc, sese suadere, concederent; quoniam alioquin nec dum mera esset meridies. Igitur, consessu elevato, gradum eum in locum promoverunt, itaque paullo post accesserunt nemusculum Dianæ verbis commendatum: Erat locus ille facilè um-

brarum denſitate & copiâ, vel eorum omnium, princeps, qui in celeberrimis montibus vallibuſque Arcadiæ veterum paſtorum carminibus famam perennem meruerunt. Florebat hic ingens formoſiſſimarum Platanorum numerus, ſalicum item, aliarumque arborum, quæ, ſuper ripis criſtallinorum fontium, denique omnia amœniſſimi illius ſeceſſus ſpatia, rigidiuſculâ & ſuavi auræ adſpiratione blandùm commotæ, gratiſſimis ſibi adſibilationibus colloquebantur. Illic, conſonâ atque contemperatâ avicularum cantitantium Harmoniâ, per viridantium ramorum intervalla, amabili quadam petulantia deſultantium, aër tantâ dulcedine permulcebatur, ut audientium animi liquido quodam nectaris imbre velut conſperſi, penè colliqueſcerent. Campus ipſe intermedius, delicatiſſimo gramine quaquaverſum conſitus erat, inter cujus æquabilitatē prominebant innumeræ ſpecies ſpecioſiſſimorum floſculorum, nullo non colore, nullo non cultu ſibi mutuo concertantium; horum cum tot diverſa genera, tam varii eſſent decores, unum tamen omnium officium erat, de campô tot picturis variegatô, tot relucentibus oculis purpurante, in ſuaviſſimum

Spiritum convenire, cujus eę eſſent gratiæ; is Lepor, ut cuicunq; etiam, qualibuſcunq; ærumnis confecto, animo, novã vitam, ex-optatiſſimi odoris fragrantiâ; adſpirare poſſent. Iſthîc, venatorum præcipui, inte-gros greges meticuloſorum hinnulorum, caprarum Silveſtrium, aliarum ferarum, invenire ſolebant, quarum captivitas & perſecutio ſuavi voluptate tempus eximeret. In hoc nemus, Dianam ducem ſecuti, tum conceſſerunt; & illa quidem cæteros, ſtudio gradum accelerans, prævorterat, ut occuparet lucum quempiam, arborum, in ſpiſſitudinem umbras conſerentium, den-ſitate, commodum, quem illa de toto illo ſpatio certis ſignis ſelegerat, quò crebrius quoq; ſuccedere conſueverat. Nõ multum eorſum proceſſerant, cum Diana, proxima jam ſeceſſui, quem amœnitate præ reliquis omnibus commendaverat, ubi moleſtum ferventis diei calorem eximerẽt, labiis im-preſſo digito, Marcelioni & Iſmeniæ indi-cium fecit, lento gradu accederent, neque quicquam ſonitus facerent. Cauſſa hujus erat quod intrà lucum illum cãtum paſto-ralem ſibi audire viſa eſſet. Et, voce quidem expensâ, Tauriſonis & Berardi eam ſimi-
lem

lem esse arbitrabatur, quorum uterq; amore ipsius multa patiebantur, ut memoratũ est suprà. Itaq; ut certius rem resciscerer, propius paullum accedens, sub latibulum lentiscorum proximorum speculabunda concessit; vidit ergo illos ipsos esse; quibus juncti aderant generoso quidam adolescens, habitu, & Virgo, nobilitatem generis & ipsa cultu corporis eximio præ se ferens: Uterq; horum quãvis aliquatenus tristiores viderentur, & ex labore itineris turbatiores, totâ tamen indole suâ, & corporis omnibus gestibus singularem virtutem præ se ferebant. Postquam hos vidisset Diana, ne vicissim ab illis conspiceretur, & ita aliquam Musicis cantibus turbam faceret, reduxit sese. Intereà advenerant eôdem etiam, Marcelio & Ismenia; ita junctim omnes consederunt, pone spinetum proximum, ubi invisi permanere poterant, & audire simul clarè voces cantantium pastorum: Horum carmina, omnem illum saltum personando, suavi modificatione sese mutuo excipiebant, ut sequens vos liber docebit.

FINIS LIBRI SECUNDI.





C. BARTHI
NEMORALIUM
LIBER TERTIVS.

MALITIA atque ſceleratus animus ſemel læſæ, & offenſæ, malæ mulieris, conſueverunt res moliri atq; efficiendas ſibi proponere, tam crudeles, atque abominabiles, ut vix uſpiam tam fero atque audaci corde, homo maſculus, reperiatur, qui non metuat tale quid aggredi, & audito, cogitatove, totus non horreat atque percellatur. Quodque peius huic accedit, fortuna tantopere læta eſt vertendis atq; concutiendis bonis & felicibus mortaliũ ſtatibus, ut plerumq; abſoluto favore his ſceleroſis conatibus adſpiret, quos n vir ad finem non alium contendere, quam uti inauditis facinoribus & machinis proſperos hominum ſucceſſus triſtibus & lamenta-

bilibus infortuniis commutent. Maxima atque immanis Felisardæ crudelitas fuit, quæ caussam fecit parenti, (licet falsam decepto) abominari atque abdicare filium proprium suum; Marito, vanis, nec verisimilibus, suspicionibus, conjugem amatissimam abs se repudiare: Major tamen atque immanior prosperitas fuit, quæ eam tam horrendæ malitiæ optato fine compotiri fecit: Nec tamen hujus historiæ recensione quispiam induci velit, ut generatim omnibus fœminini sexus abalienet animum, easque malarum artium suspiciat; Potius eò quisque hæc intelligat, & consideret, uti cavere possit à similibus Felisardæ hujus; quales quidem, beneficio numinis, paucas omnino offendet; Cæteræ, longè meliori numero, sunt exemplaria viva virtutum, bonorum morum Specimina egregia, Ornamenta rerum mortalium, & sidera humanæ conversationis illustria; quarum fides, Sapientia, Consilium, Prudentia, honestitudo, merentur etiam celeberrimorum Poetarum carminibus æternitati commendari; Quarum laudum documenta spirantia sunt Diana, & Ismenia,

nia, noſtræ, inter paſtorales ſuorum temporum puellas commendatiſſimæ; tam formoſitatis omnibus numeris, quam ſapientiæ ſingularibus dotibus; quarum laudes manifeſtis poſteritati demonſtrationibus tranſcribit Hiſtoria; cujus nos ſeriem proſequendo certiores vos facimus; Marcellionem modo nominatis puellis junctum, poſtquam pone carecta vicina conceſſiſſent, Tauriſonem & Berardum hoc modo concinentes audiviſſe.

BERARDVS.

Hæc Aura, blandum quæ vepreta immurmurans,
Aureſq; & oculos afficit,
Iſtæ umbræ amœnæ, textileſq; ex his caſæ,
Hic fons liquore limpido
Copis; Colorum mille odori hi floſculi,
Curas fuganteis ſpiritu,
Curas feroceis corda quæ virûm exedunt,
Triſtique torquent tormine:
Nequeunt tyranni contra Amoris impetus
Firmo venire pectore.
Quin ille, temto iure, vigerat omnia,
Ratione calcatâ ferox.
Remedia noſtris nulla ſunt doloribus,
Auget medela vim mali.

TAVRISO.

Amore si quis pectus exedit, nihil
Illum medelæ juverit.
Hæc ratio morbi est; vivit in doloribus
Spe gaudioque mortuus.
Cum læta captat, imminet duplex furor,
Gemitusq; continuat graveis.
Vt anima sese quopiam oblectet, statim
Novus inde nascitur dolor.
Amor suâ se jactat in victoriâ,
Victumque perimit aut capit.
Captum ille Sorti tradit: hæc doloribus
Vendit, mori ut vivus queat.
Sic mille flammis additus quotidiè
Sine morte moritur millies.

BERARDVS.

Cor ille lætum triste reddit indidem,
Sanumque morbis implicat,
Capitque Liberum, atque Vivum interficit;
Solare te, Anime, his legibus
Cupidinis pueri, in locum te altissimum
Videns locatum, te utere.
Recipe dolores, offer his caput tuum
Damni mali minaciis.
Gaude ægritudine, ista quippe lex mali est;
Quo mage studebis egredi,

Magis implicabis retibus vafris pedem,
Ludibriis obnoxius.

TAVRISO.

Materia mecum maior est Cupidini
Honoris augendi sui,
Pastorum, utriq; quam quod est Hispaniæ,
Malis mala increscunt mea:
Vberior oculis exit his fons fletuum,
Delicuit atque queis Biblis.
Peregrè petenda bona, malum est domesticum;
Videre quam cupio miser
Visâ Dianâ morior; oppeto siti,
Fonti uberanti proximus.
Absente despero, imminet præsentiâ,
Sollicita mors timens sibi.

BERARDVS.

Rident viridia prata, & Auræ obsibilant,
Luscinia succinit loquax,
Innumera pectus ægritudo hoc lancinat,
Curisque mille ego differor.

TAVRISO.

FLores amœni spiritus dulceis cient,
Per prata purpurantia.
Ast ego dolorum morior aspritudine
Nec vivere haud possum tamen.

BERARDVS.

Mentem animi mala mî verterunt tormina prorsùs,
Nec decem ego norim iam dare versiculos.

TAVRISO.

Lingua mea in cantus perculsâ mente vacillat,
Ergo agedum electum tu cane quid, memorans
Tale, inter cunctos, carmen, tibi quale Poetam
Esse dedit nostri præcipuum Nemoris.
Quale, trahens centum fracto suspiria versu,
Nymfarum in laudes agmina Vatis agit.

BERARDVS.

Tecum suavis ordiens carmen soni
Labore defungar meo.
Compone tu te redditurus alterum.
Sed ecquod ordiar, putas?

TAVRISO.

Dic illud ergo: Stella me Radians ferit:
Vel illud: Ah tristis dolor!
Vel hoc; sed hercle nomen excidit, tamen
Choreis Dianæ id nuperè
Memini, accinebas; universus plauderet
Cum pagus ad saltus tuos.

BERARDVS.

Non Lea tam fera, non Tygris tam barbara vivit,
Quæ nequeat nostro quicquam indoluisse dolori,
Tam

Tam ferus ille meos, tam barbarus excoquit artus:
Ah mea mî non volt fera condoluisse Diana!

TAVRISO.

Ah mea mî non volt fera condoluisse Diana!
Nemini ad hanc ulli par formæ, audita fuisse
Duritia est; non ista parem, nõ quemquã habet illa,
Ah miser hinc atq; hinc patior, Spes nulla saluti est,
Vivere qui nequeo, cur non datur ire sub umbras?

BERARDVS.

Vivere qui nequeo, cur non datur ire sub umbras?
Mille vices mortis morior: sed quei pote fungi
Morte meâ, poßim cum te, Diana, videre?
Mens animi mihi mota, insano in pectore fervit.
Quo magè Amo, magè Amoris amaras non capio artes.

TAVRISO.

Quo magè Amo, magè Amoris amaras non capio artes.
Addictos sibi servitiis occidere perstat,
Vincula qui fugiunt fera, libertatis amore,
Hos duplici sequitur Pœnâ, coquit illicet intus
Viscera, & ipsam animam differt torrente dolore.

BERARDVS.

Picto floridior, Puella, prato,
Quod mensis Veneris, Deâ favente,
Florum non numerabili catervâ

Auris sub Genialibus polivit.
Rosis, Nymfa, venustior venustis
Cælorum cui nil favor negavit
Sic adsint tibi quæ voves, tuisq;
Armentisque greges, ovesque tauris
Pleno Copia dis favore mutet,
Blandis respice tot meos ocellis
In suspiria tot graveis, dolores,
Tandem respice mitior, DIANA.

TAVRISO.

Pastorum Dea, quæ serenitate
Saltus, Prata, & Agros videndo vestis,
Nive ô candidior recente, Nymfa,
O natis modo liliis puella:
Sic plenæ tibi floreant aristæ,
Et campos sata fertileis decôrent,
Vt fructus modò in hos modò, Annus, illos
Gratis meßibus ubereis abundet;
Blandis respice pupulis tuorum
Pastorem, morientem in igne Amorum:
Omneis cui tuus in beatitates
Aspectus satis est, DIANA, *Solus.*

Hoc temporis articulo Adolescens ille ge-gerosus & Virgo splendido cultu, magna nestuum civilitate interruperunt cantionem pastorum, illisque prolixas egerunt gratias ob Voluptatem quam de dulcedine illius

illius festivæ Musicæ receperant: Deinde ad Virginem conversus juvenis; Numquam puto, inquit, soror, audivisti in magnificis civitatibus Musicam gratiorem, animo, auribusque acceptiorem, hac rurestrium hominum simplici atque naturali velut. Per fidem, respondit illa, magis me afficiunt, animique componunt, rustici isti atque pastorales cantus, candore innocenti & simplici instructi, quam in illustrium Magnatum palatiis Regumque Aulis, delicatæ voces, multâ arte compositæ, & in Harmoniam redactæ, mille inventionibus novis variatæ, & contemperationibus in ordinem æquabilem deductæ: Neque porrò quisquam dubitet pari æstimatione Pastoritiam hanc Musicam censere, cum me ipsi præivisse eam norit, quæ aures subactas habeo suavissimis concentibus celeberrimorum Cantorum, qui quidem in ullâ Civitate opulentissimâ aut Aulâ Regiâ toto terrarum Orbe offendi possint hac ætate. Dum enim Marcelio serviret adhuc, verè desiderabili tempore, Sorori nostræ Alcidæ, cantare de nocte consueverat ad fores illius, sono Lyræ vocem suavissimam admodulante, talibus Gratiis, tanto Lepore,

ut, si Orpheus ille, Poetarum fabulis decantatissimus, tali Musicarum artium peritiâ & dulcedine instructus fuit, nequaquam mihi mirum videatur, feras illum suavitate cantuum traxisse, & conjugem, Eurydicen, charissimam suam ex ipsis Avernalium specuum penetralibus ad superos reduxisse. Ah Marcelio, & ubi nunc tu esse potes! Ah Alcida, ubi tu gentium inveniunda! Me autem miseram, cui nullo non temporis momento Fortuna lacrymosarum rerum memoriam subjicit, & renovat, cum primum animum aliquâ recreatione à perpetuis tormentis revocare videt. Audiebat has Puellæ voces Marcelio, ut non longè isthic cum Ismeniâ & Dianâ latitabat, quæ quidem animum ejus mirificè consternabant, Alcidam & sese nominari percipientis. Non credebat ille satis propriis suis auribus, jamque imaginando mentem in eam partem avertebat, esse fortassis etiam aliũ à sese quempiam Marcelionem, esse & Alcidam aliam, quorum mentio isthîc fieret. Non diu tamen se continere potuit, quin propius arreperet, intra latibulum illud gradum promovens, & speculabundus

dus attẽtioribus oculis; donec certò cognovit adolescentem illum, & Virginem illam, esse Polydorum, & Clenardam, Germanos utrosque Alcidæ suæ: Omni igitur morâ sepositâ ejecit se ocyus frondosis latebris, & maximâ festinatione apertisque brachiis, accurrendo, lacrymis oculos uberanteis habens, in amplexus eorum irruit; nunc Clenardam, nunc Polydorum desideratissimis osculis dissuavians; nec, ob gaudii vehementiam, vocem in penetralibus pectoris detinentem, satis longo tempore quicquam loqui poterat. Par illud germanum novitate negotii velut attonitum, nesciebat quid rei accidisset tam repentinæ: De Marcelione enim, qui pastorali habitu indutus adesse posset, nulla erat suspicio; donec, gemitibus & suspiriis in vocem laxatis, lacrymisque linguam non jam tenentibus, ita eos affatus est. O Germani pectoris mei, jam ego facilè mearum miseriarum oblivíscar, cum felicem hũc adspectum vestrũ Numinis mihi favor restituit: At quomodo Alcidam non vobiscum video? Forte abscondistis eam aliquà sub umbrosarum istarum frondium latibula? Per omnia vos quæ chara

habetis obſecro, ejus rerum me certiorem faciatis, ſubvenite, ſupplico, ærumnis meis, deſideriis ardentiſſimis opem adferte. His prolocutis, agnoverunt Germani Marcelionem, amplexique illum, Voluptate in largas lacrymas profluente, reſpóderunt his verbis. O feliciſſimum diem, ô inſperata & inſperabilis Proſperitas, ô frater animæ noſtræ; quod illud infelix aſtrum, quod ſidus tam ferum nos reperire abnuit tecum, utriſque deſideratiſſimam, Alcidam noſtram? quis plenitudinem gaudii noſtri hac parte truncavit? Quid ita tu habitu iſto tam te indigno, tibique inuſitabili, te abſcondis? Ah, triſtiſſima fortuna, ad finem nullæ res perfectum ullum gaudium ſuppetunt mortalibus! Ex alia parte Diana & Iſmenia, videntes tam audaci greſſu irrupiſſe Marcelionem locum illum, ubi cantitantes paſtores conſederant, ſecutæ ſunt veſtigia illius, & repererunt cum Polydoro & Clenarda modo recenſitos ſermones alternantem. Tauriſo autem & Berardus, tam inſperatò Dianam ſupervenire videntes, dici non poteſt quanto gaudio perculſi ambo fuerint. Tauriſo ergo, non capiens ſilentio tantam felicitatem, ſed,

ſed, oculis & geſtu univerſo, cordis intimam exultationem teſtificans, ita eam allocutus eſt. Grandis hic favor Fortunæ eſt, ô Diana formoſiſſima, illam quæ ſemper ſodalitatem noſtram fugit, caſibus & ſucceſſibus tam prorſus inſperatis, cum minimè cogitare ejus præſentiam datur, ſuâ ſponte toties nobis ſupervenire. Non hæc fortunæ reſcribenda cauſſa eſt, Diana reſpondit, ô eximii paſtorum, verum veſtræ in cantando & fides pulſando dexteritati, atq; eruditioni; nullus quippe recreationi amœnitate aptior locus eſt, in quo vos reperire non liceat, quemque vos Muſicâ veſtrâ, tam laudabili, celebriorem non faciatis. Verum quoniam huc convenimus, nemine noſtrum alterius adventum exſpectante, jamque Sol mediæ diei limen tetigit, placet mihi calorem vehementiſſimum in contubernio iſthic veſtro eximere, amœnitate loci vocante; quamquam enim non parum mei interſit tempori domum Feliciæ appellere, non tamen gravabor detinere me, paullum hoc temporis, vobiſcum, ut iter poſt remiſſiore cœlo temperatius habeam, intereà autem veſtrarum dulciſſimarum cantionum Voluptatem hauriam.

Idcirco parate nobis voces fideſque ve-
ſtras,nihil recreationum omittentes, quo-
niam turpe ſit quicquam negligentia aut
invidia cælare , tam egregio contuber-
nio tã inopinatò conveniẽte. Vos autem,
generoſi Equites , & Nymfæ formoſiſſi-
mæ, ponite jam cum his finem lamenta-
tionibus veſtris ; abhinc enim deinceps
ſatis vobis temporis erit ad audiendas e-
narrandaſque fortunas mutuò vobis ve-
ſtras, unde mœrorum atq; gaudiorum, ex
malis proſperiſque ſucceſſibus , copia vo-
bis ſuccreſcet ; Hoc jam ſpatium diei , hîc
locus paſtoralia gaudia requirunt. Maxi-
mè omnibus placuit bonum Dianæ con-
ſilium ; proinde circum pellucidum fon-
tem, ſuaviter illic ebullientem, ſuper toros
mollium herbarum placidè omnes conſe-
derunt: Locus ille omnium per iſtos ſaltus
longè amœnitate, tranquillâque ſeceſſio-
nis quiete, princeps erat ; nulli nemorum
Parthenii montis inferior, quorum fama
Neapolitani Sinceri carminibus faſtigium
celebritatis tenet. Erat in meditullo hujus
nemoris ſpatium quoddam Quadratum,
ſingulis lateribus Quadraginta paſſus cõ-
plexum, circumdatum umbroſarum arbo-
rum

rum ſpiſſiſſimo luco, ea ratione, ut, in modum muniti manu Caſtri cujuſpiam, undique denſiſſimâ ſilvâ cingeretur, adiri vero unâ ſolùm parte poſſet, quâ penetrare operosâ quadam ſemitâ cogebantur, qui in gremio ejus conſidere, recreationis amœniſſimæ gratiâ, cupiebant: Planities ipſa, campuſque interior, mille florum ſuaveolentium, herbarumque viridium generibus conſitus, florebat: nulli illuc ovium greges, nulli caprarum, nulla taurorum armenta, acceſſum habebant, intacti pedibus flores animantium, morſibus illibatæ herbæ, perpetuùm tranquillitate nativâ gaudebant. Medium Luci umbilicum fons limpidiſſimarum aquarum occupaverat, qui de pede antiquiſſimi, & ipsâ ætate venerabilis, Roboris, progrediens, in locum à naturâ ipſi deſtinatum, profunditate quadratâ alveum quempiam faciente, conſederat: Putaſſes manu humanâ fabricatum velut ſolium ubi undæ ſeſe congererent; ſed Natura magiſtra etiam artificii curam vicerat: Suavi ſonô eò concurrens, laticum abundantia, tam gratum oculis auribuſque ſpectaculum præſtabat;

ut Pulcri Fontis vocabulo ab omnibus circà Paſtoribus idem cenſeretur. Ripæ ipſæ hujus Fontis candido marmore, tam ęquabiliter compoſiteque, ſeſe circumduxerant, ut ſpectatorum nemo non ad perpendiculum Architecti manu omnia exacta crederet; ſed naturalis ſcena ſaxorū facilè perſuadebat vivum opus, cum radices eorum, ſolo fixas, oſtenderet, non aliter quam præcelſis montibus ſcopuli & petrarum cautes innaſcuntur. Aqua quæ ſolio illo ſuo ſuperfluens urgebat ſe ſemper, duobus arctis canalibus profecta, omnia circum ſpatia campi, arborumque viciniâ conſurgentium, radices, irrigabat; continuâ fertilitate vitalem illis humorem ſuggerens; ut gratioſiſſimo virore perpetim ſibi conſtans honos loci, tranquillitate amabili, ſuis ſe bonis conſervaturus, floreret. Hac amœnitate, Naturæq; ornamentis, tam celebris & commendatus Lucus iſte cum Fonte ſuo erat, ut nullo ipſi tempore paſtorum aliqui deeſſent, qui, ſuper margine undarum, herbiſque ſemper virentibus, mille luſibus, feſtiviſque recreationibus tempus eximebant. Tamen nemo ex his omnibus non relinquebat greges ſuos extra luci ſemitam,

tam, venerantes cuncti, & quadam religione, Locum, obſervantes, ne clariſſimarum Aquarum nitor aliquà inturbaretur, aut viridarii culta à male cuſtoditis ovibus decerperentur. Circum hunc Fontem, uti jam memoratum eſt, conſederunt paſtores, duce Dianâ, noſtri; peris ſuis prolatos ſinguli cibos ſuos in commune conferentes; quos quidem majori utique cum voluptate guſtuſque ſuavitate, ſumebant, quam quæ, Epulæ, mille exquiſitis ferculis Magnatum menſis inferuntur, quorum varietas curioſis condimentis dilata, ipsâ copiâ faſtidium bonarum rerum facit. Finito convivio, uti ex unâ parte Marcelio, ex altera Clenarda & Polydorus nihil æque cupiebant, quam alter alterius narratione audire, quid ſingulis ex eo tempore factum eſſet, quo divulſi fuerant; Marcelio, ſermoni exordium faciens, ita locutus eſt. Optima Ratione, Germani, percontari nunc volo, quid vobis acciderit ex quo mutuò conſpectui erepti fuimus, & quomodo vos, ſene parente & ſorore Alcidâ incomitatos, iſthic offenderim: Dudum enim vix fero cordis alterationes, mirifica ſibi imaginantis, cum neſciat vera. Tum Polydorus ex-

cepto ſermone ſic reſpondit. Quoniam loci hujus amœnitas alia omnia poſcere videtur, quam quæ dolorum memoriam reducant, neque opportunum puto, paſtorum iſtorum chorum, infortuniorum noſtrorum recenſionibus, ex hilari in triſtem commutare, auribuſque lætis oggerere rerum mœſtarum hiſtorias, ſummâ, quâ potero, brevitate tibi narrabo, quid malorum nobis exantlandum Fortuna objecerit, ex quo nos disjecit. Poſtquam à nautis, uti non ignoras, impeditus, ærumnoſum parentem meum periculo, jam naufragio peſſumeuntis, triremis, eximere, & in ſcapham transferre non potui; ſed cum illo coactus inibidem invitus permanere fui; mœſtiſſimus ſenex tantâ anxietate animum percipiebatur, quantâ credibile eſt amantem liberorum chariſſimorum Patrem; qui ſub finem provectæ ætatis ſuæ illos ſimul ſeque in tam immani periculo conſpiceret, percelli. Non curabat ille verbera dira, undique navim oppugnantium, fluctuum, non iracundas animas Ventorum, ex omni eamdem latere aſſilientium; ſed, oculis ſemper in abeuntem ſcapham fixis, quæ vos Mar-

celio, cum Alcidâ & Clenardâ, auferebat, & ad ſingulos fluctuum inundantium pulſus in imam abyſſum deſcenſura videbatur, quantò magis illam à nobis recedere cernebat, tantò ſævioribus modis ærumnoſum cor ſuum affligebat; quod quidem tam horribili planctu ipſis viſceribus exſiliturum putaſſes. Cum autem penitus jam viſu noſtro exceſſiſſetis, vitam illi exceſſuram corpore omnes cenſebamus. Navis ipſa, Tempeſtatis furias quaquaverſum ſequens, integros quinque Dies maris æſtibus ſurſum & deorſum jactata eſt, ex quo vos ablati eratis: horum termino, iam Sole in occaſum prono, vicinos nos terræ cuipiam vidimus Quam huius aſpectu gaviſi omnes fuerimus, non attinet, dicere; Nautæ ipſi maximè lætabantur, tum quod tum atrox & diuturnum periculum evaſerant, tum quod terram agnoſcerent, cui appellenda navis erat. Erat enim modis omnibus cultiſſimum, quicquid de littore cerni poterat, amœnitate admirabili nulli ceſſura regio, quotquot Sol radiis uſpiã ſuis veſtit. Adeo ut nautarum unus, depromta conditorio ſuo lyra quapiã, qualibus fallere tẽpus lõgarũ navi-

gationum hoc genus ſolet, cantare & fidibus ciere hanc cantiunculam inſiſteret.

Terra Valentino felix habitata Colono,
Naufragiis ſollers ferre hominum auxiliū.
Quam neq; ſæva gelu devinxit bruma nivali,
Nec Sol flagranti torridus igne cremet.
Felix, qui, infido iactatus ad omnia ponto,
Conſtitit in veſtro, terra beata, Solo.
Hunc humus excipiet viridi pia ceſpite, cæli
Temperies vitæ maxima reſtituet.
Ante mari quam ſe tollat gravis æſtus iniquo,
Nautarum maior quā Labor Agricolûm eſt.
Tu refove miſeros, ut Turiæ in æquore blando
Membra lavans, Ponti vim exſecrer horribilem.

Hac nautæ, non ſanè fatui, cantione intelleximus regionem, quam cernebamus Regnum Valentiæ eſſe, terram omnibus mundi habitabilis partibus percelebrem. Interea autem dum iſte decinit, vi potentis venti impulſum navigium tam prope tellurem acceſſerat, ut ſi ſcapha nobis adfuiſſet, ex illa ſaltu eam prendere potuiſſemus. Verum procul adventum noſtrum piſcatores quidam perceperant, qui viſis velis noſtris laceris atque undiq; dependentibus, Malum

lum in latus everſam eſſe, rudentes ruptos, Foros & lateramina navigii concuſſos atque diffractos, periculum quod hactenus evaſeramus, facile poterant conjectare: Itaque quidam ex illis lintribus piſcatoriis, qualibus in littore ſtationes ſuas ordinarias ſervare ſolebant, inſilientes, ad nos properabant; dehinc non parvo cum Labore, maxima autem commiſeratione, navi nos noſtrâ exonerarunt, terræque collocarunt. Tantis nos gaudiis reſtituti ſaluti excepimus, quantis credibile eſt exſultare præſentiſſimæ immani morte ereptos. Piſcatoribus, qui tam inſigni humanitate ultrò, ignotos nos, lintribus ſuis evexerant, Eugerius & ego prolixis verbis gratias agere inſiſtebamus, offerentes pro tam commodo auxilio, omnia noſtra: Illi vero, ut erant homines naturâ ſuâ humaniſſimi, ſimplicibus & benigniſſimis animis, non multum attendebant noſtras orationes & gratiarum actiones; quin unus ex illis ita nos allocutus eſt. Ne acceptum nobis pro tam inſigni beneficio opus hoc liberationis veſtræ feratis, Domini; ſed reſcribite hoc obligationi officii noſtri, quo tenemur omnibus fortunæ adverſæ expoſitis pro copiâ

noſtrâ ſuccurrere & opitulari; bono item animo & ſtudio noſtro, quo numquam tali deeſſe debemus porro, & hactenus etiam defuimus: Neque enim, quod certò vos credere jubemus, ullum umquam nos vitæ noſtræ diſcrimen abſterruerit, quin, ad omnes occaſiones promti paratique, opem ferre velimus omnibus ea opus habentibus; Præcipuè exemplo tam luculento nobis hodiè oblato, quod ſi non, uti vobis nunc, ita illi antè paucas horas iſtas ſuccurſum iviſſemus, toto nos vitæ tempore malè animis affecti meritò viveremus. Caſum autem ipſum vobis enarrare non pigebit. Summo manè hodierni diei, pro more, caſis noſtris egrediebamur, retibus noſtris, alioque apparatu piſcatorio, ſuccincti, ut victui ſolito proſpiceremus, Antequàm vero ad littus ventum eſſet, vidimus cælum undique obſcurari cæptum, maritimos fluctus commoveri, ventos increbreſcere, unde bis retro redire animum induximus, diffiſi credere nos, tam maligno tempore, periculoſis undarum æſtibus. Aliquibus tamen de grege noſtro contrà videbatur, omni-

omninoque littori accedendum, ut propius specularemur quorſum conſeſſura forent Tempeſtatis indicia; ſæpè talibus prodigiis incaſſum motis, ſequutam ſummam pelagi tranquillitatem; aeriſque clementiam ſubitam, turbati ſignis, ſucceſſiſſe. Cum eò veniſſemus ergo vidimus procul ſcapham, undarum furiis obluctantem, ſine remis, abſque velo, fracto jam malo, nulli quam naufragio proximiorem; quali omnino vos quoque rerum ſtatu nunc offendimus: Commiſeratione igitur moti ſubito mari unum de firmiſſimis lintribus noſtris injecimus, ſaltuque in illum illicò illati, citra Tempeſtatis metum, ſcapham perſecuti ſumus, quam & non multo tempore interlapſo, tenuimus. Cum tam prope illam advecti eſſemus, ut quid hominum inibi veheretur, videre daretur, vidimus Puellam quampiam, Cujus nomen nec nunc etiam dicere poſſumus, quæ lacrymis totam ſe proluens, expanſis brachiis auxilium noſtrum implorabat, & miſerabilibus lamentis inclamabat dicens: Ah, fratres mei, ſupplico vobis quam maxime poſſum liberetis

me de discrimine duplici meo, Tempestatis diræ primum, deinde altero longè atrociore, scilicet manibus impuratissimi hujus Latronis, qui me isthic attinet, qui me contra omnem æquitatem captivam avehit, & sceleratâ libidine Pudorem mihi meum cõtaminare cupit. Auditis his, summâ annisi diligentiâ, nec sine evidenti periculo nostro, tamdem tamen eam cum nautis illis egregiis, scaphâ in nostrũ navigiolum transtulimus, quo terræ porro isti exposuimus. Recensuit tum illa nobis sceleratissimas machinas quibus ipsam, cognatum & sororem germanã, latrones illi pessimi deceperant, quarum series longa sit auditu; Puellam ipsam cum conjugibus nostris domi reliquimus, liberatam impurâ captivitate duorum illorum nebulonum; Hos vero carceri isthic in viciniâ mãcipavimus, unde post paucos dies depromti, meritas scelerum suorum pœnas luent. Igitur, ut unde sermo cœptus est, eò redeamus, quis nostrum porro nolit paribus se periculis committere, uti restituat saluti jam ferè desperatæ perditos, & succurrat miseris, ultimo discrimini proximis? Cum ista narrantem piscatorem audiret Euge-

rius,

rius, cor ipſi ſaltus mirificos ciebat, an iſta puella filiarum ſuarum aliqua eſſet? Ipſæ eædem cogitationes animo quoque meo obverſabantur. Utrumque autem pro tempore conſolabatur ſpes, quæ proximè nos viſuros puellam ipſam ingerebat, unde conjecturæ Veritas clara exiret. Interim, dum iſta recenſentur, linter remis evectus, terræ nos ad exitum admoverat; Piſcatores nudis pedibus in aquam deſilientes humeris nos ſuis in littus expoſuerunt: Cum jam in ſolo conſtitiſſemus, intelligentes nos quiete quam maximè opus habere, unus ex iis, ætate cæteris provectior, Parentem meum manu prehendens, me autem, ut cum cæteris ſequerer, nutu admonens, viam ad tugurium ſuum inſtitit, quod quidem non procul littore erat, ut quiete nos neceſſariâ ciboque commodè reficeret. Propius illud allati, audivimus ſonum mulierum canentium, neque, utcunque feſſi & male habiti, intrare voluiſſemus, niſi prius foris intellecto quid boni cantitaretur ſi ullo modo fatigatio tam diuturna tale quid nobis cõceſſiſſet. Verũ Eugerius & ego nullum tempus ſatis breve habebamus ut cognoſceremus quæ puella

illa foret, de qua talia nobis narraverant Piſcatores noſtri. Improviſi itaque Caſam irrupimus, Mulieres autem adventu noſtro illicò cantus ſuos conticuerunt; hæ erant Uxor Piſcatoris, cum duabus filiabus, puellis admodum venuſtis, quæ retia, inſidias ſimplicibus piſcibus, componentes ſuaviſſime, fallendo laboris tædio, concinuerant. In medio earum Puella illa peregrina viſebatur, quam illico nos agnovimus, erat enim Clenarda, ſoror mea, nunc iſthîc nobis præſens cum bono Deo. Quid paſſi ſimus rerum hac fortunâ, quidque illa ſuſtinuerit, malo ipſamet tibi recenſeat; non enim ego tam arduo & difficili negotio ſuffecero. Hîc copia erat lacrymarum, hîc ubertas gemituum, hic involutæ doloribus immanibus voluptates, hic gaudia mixta amaris mœroribus, hic opera & verba, qualia hominum quivis ſapientior facile imaginando conjectaverit. His jam aliquo pacto conſopitis, Eugerius, ad piſcatoris filias converſus, Formoſiſſimæ, inquit, adoleſcentulæ, cum, fortunâ ferente, huc nos appulerimus, ut ex parte doloribus noſtris exoneraremur, non erit

æqui-

æquitati conſonum interturbare delectationes veſtras adventum noſtrum, & cantionum hilaritatem exſtinguere, quæ alioquin vel ſolæ ſuffecerint conſolari aliquà ærumnas noſtras. Harum quidem vobis copia non deerit, piſcator ſuſcepit, dum domi meæ commorabimini; ego quidem non parcam, quo ad potero, eò conniti ut tibi ſatisfiat hoc etiam pacto: Nunc vero utilius videtur quieſcere, & animum recipere, ſuo tempore neque Muſica noſtra deerit. Cum dicto Uxor hominis nobis cibatui aliquid protulit, dumque nos illo occupamur, altera virguncularum, nomine Nerea, hanc cantionem exorſa eſt.

Per prata felix qua rigat virentia
Guadalavir, fluviûm parens,
Vectigal undarum inferens ponto ſuum,
Terrasque ditans ubere.
Galatea, faſtuoſa quod mori ſuo
Amore Lycium cerneret,
Ibat ſuperba, littus ubi viciniâ
Eluitur allapſi maris.
Lectura, pictos nunc lapillorum globos,
Conchasque, arenarum è ſinu;

Nunc voce cautes delicatâ personans,
Vicario undarum sono:
Modo ingruentis agmen exspectans aquæ,
Sedebat ad littus vagum.
Fluctu reverso præpete aufugiens gradu,
Sed tacta sæpè album pedem.
At Lycius, alius nemo quo Patientior
Ferebat adversos Deos,
Paullum, ista cernens, aspero quæstuî suo
Dulcis dabat RefrigerI.
Sed ubi dolores gaudiis Nymfæ suos
Aequare cupiebat, statim
In se reversus, pristinos iterans sonos,
Movebat his vocem modis.
Formosa Nmpha non ego te viderim
Cum fluctibus colludere.
Licet voluptas ista videatur tibi,
Fuge pontum, ïö, pontum fuge
Galatea, Lycium ut efferâ fugis fugâ;
Parce, ô puella his Lusibus.
Nostri doloris hisce succrescit furor,
Nolis malum addere hoc meis.
Pelago propinquam te videns, Neptuno ego
Invideo, ne te amaverit.
Mea tristis istuc cura me docet, semel
Iterumque Veri prospicax.

Vt ille non te amarit hactenus, potest
Perire visam protinus.
Hoc certe erit: Cupido novit, ut mei
Major doloris sit furor,
Potentiore opus esse Rivale, ut quoque
Ex parte miserum hâc lancinet.
Relinque siccum littus, algas horrido
Infructuosas gramine.
Cave, marina ne qua bellua, evolans,
Fœdo ore vulnus inferat.
Fuge jam fuge! illa me impotente gaudia
Suspectione tua induunt.
Ah duplici furore, sollicitum tua
Pericla miserum differunt,
Lætitia suspicione damnat improbâ,
Vtrimque dira subfero.
Exsultim adire littus adspicio? subit
Europa memoriam mihi,
Quam candidus bos insidentem per mare
Avexit in mœchi torum.
Subit deinde Hippolytus, ut fastu tumens
Spretor novercæ, perierit.
Viso ille monstro, raptus in mille, æquoris,
Frustrà pudicus, fragmina est.
Nihil timore tangeris nostro tamen,
Nec Pœna quicquam te afficit!

Benè ego istud à me cognitum servo, cui
Amor timorem non ciet,
Nihil ille penitus metuit; at caveas tibi
Cupidinis læsi à dolis.
Contemtus ille vindices Pœnas movet,
Cogitque, quod gratis negas,
Id facere vi te mox coactam ingratiis;
Offensus hoc nocet modo:
Ades hanc amœnam mecum, iô, sub silvulam,
Vmbrosa in ista compita.
Et prata florum mille odora generibus;
Meridies ipsa hîc tepet!
Si capit aquarum te fluor, videas ibi
Fontem scatere limpidum.
Is inter omnes primus, exspectat modò
In eo lavére bella tu.
In siccâ arenâ hac, vela non suffecerint,
Nulla umbra faciem contegat,
Quin sole aprico denigrére candidam,
Sic forma perierit decens.
Nullæ Camœnæ hic mulceant, sed turbidi
Atrox tumultus marmoris.
Ventorum inane per furentium tumor,
Aquæque fundo prorutæ,
Inaudiuntur; visui nil gratius
Obfertur, ac fracto maris

Furore

Furore tamdem, naufragas ponto procul
Tabulas videre vertier.
At, ô, sub istud mî comes veni nemus,
Natura quod comit bonis.
Meridianum blanda quo sidus movet,
Sole ardido friguscula.
Huc crebra pastorum ingruunt collegia,
Veris potita gaudiis.
Fuge ô superbi vim maris; dulces veni
Audire voces Carminum.
Hîc, Cura quicquid ardua ingerit, procul
Removemus, ac suspendimus.
Quamvis Amantes cogat in cantus Amor
Ciere vocem & naulia,
Tamen, rogante me, nihil tale audeat
Cantare Pastorum chorus.
Vt dulce solum carmen auribus tuis,
Quod tute malis, insonet.
Totum diem illîc prata per, per silvulas,
Inscripta libris pelleges
Vetustiorum Roborum, vocabula,
Pastorum, & illa virginum
Quacunq; Fama cæteris præfert loquax,
Amoris apta Numini.
Sed mente tristi nomen agnosces tuum,
Descriptum in alto cortice,

Quod ille manibus pinxerit ſuis, cui
Tot tu dolorum cauſſa ſis.
Tamen, furore te ira quo diſtrinxerit,
Non hoc dolebit tam malè,
Quod nomen iſthîc videris ſcriptum tuum,
Quam te ille amare quod velit.
Amare quampiam haud amatam, dura res,
Et vix ferenda ducitur.
At quid furoris agere te dicam, videns
Amari, Amare, quod neges?
Sed tu tuum, Galatea, paſtorem, ut lubet,
Contemne; ſaltim ut ne prope
Fluctus videre cogar hos tuos gradus,
Tam barbaros, tam turbidos!
Quid littus illud dulcius poterit dare,
Luſcinia quam, nemoris mei
Colona præpes? hanc lavantem cernere
Potes, hanc legentem floſculos!
O Dii mihi iſtud voti, iô, hoc faceſſite,
In nemore ut hanc videam meo,
Vt littus illa veniat habitatum meum,
Quod laudet iſto promtius.
Sed illa ſurdis auribus contrà ſtupet,
Nec laudibus credit meis.
Sufficiat ergo canere me Muſis meis,
Licet illa mentem averterit.

Lycius volet decinere plura, sed ferox
Puella damnat carmina.
Silentiumq́ injungit ardenti sono,
Quod ille tristis pareat.
Ludos redorsa cum marinis fluctibus
Continuat, averso pede.
Continuat ille vim dolorum in carmina,
Actum agit uterque scilicet.

Cantilena hæc formosæ virgunculæ & cena nostra pariter desiverunt; quibus finitis, Clenardã rogare instìtimus, uti enarraret quid accidisset rerum ipsi, postquam à nobis vos discesseratis; illa totam de malitia Bartosani, Alcidæ desertione, captione tuâ, suâque comprehensione, historiam recensuit, denique omnia quæ tu ordine universa nosti. Plorabamus amarissimis lacrymis ærumnas nostras invicem; quibus intellectis Piscator quæ potuit consolationis nobis carmina proposuit. Præcipuè autem indicium fecit hac parte Regni hujus colere Sapientem illam Feliciam, cujus utique scientia nostris malis remedium aliquod esset præhibitura, Alcidæ nos & tuũ statum edocturæ, quoniam huc omne nostrum desiderium conveniret. Sic nocte illa illîc, ut potuimus, transactâ, manè sum-

mo, cum exortu jubaris, relictis apud piscatores hospites nautis, qui nobiscum servati advenerant, tres nos soli itineri nos commisimus: Post plurium deinceps dierum vias Templum Dianæ appulimus, ubi domicilium habebat Sapientissima Felicia. Vidimus illic in miraculum pulcrum Fanum, amœnissimos circum adjacentes hortos, summo sumtu constructum Palatium; agnovimus etiam perfectam celeberrimæ Antistitæ Sapientiam, junctis aliis rebus, quæ tali nos admiratione perculerunt, ut neque dum satis firmi simus ad omnia sigillatim & per partes enarranda. Illic vidimus formosissimas Nymfas, quæ exempla sint Castitatis, illic insignes genere Juvenes, & Virgines nobilitate virtutumque censu commendatissimas, Pastores etiam & Nymfas; præcipui vero Nominis pastorem præ cæteris, Sirenum, qui apud omnes in maximâ æstimatione erat. His, aliisque qui aderant omnibus, Sapiens Felicia suis cuique malis congrua remedia dederat, unde Amorum adversorum, aliorumque Infortuniorum, ægritudinibus, exsolverentur. Nobis hactenus hoc

hoc ſolum conſilium elargita eſt, Patrem noſtrum Eugerium domi ejus relinqueremus, noſque in has regiones, & ad hunc ipſum fontem, conferremus, non receſſuri donec ſolatia aliqua ærumnis noſtris offenderemus: Nunc igitur, voti ex parte damnati, tuum, nobis chariſſimum caput, ſalvum indepti, non videmur cauſſam ulterius hîc morandi habere, ſed revertendi ad fanum plurimas; præcipuam vero eam quod & parentem noſtrum ſolum, & ſolatii hujus aliorumque omnium expertem, illîc reliquerimus. Novimus quidem optimè indagare Alcidam ſuam maximum futurum ſeni officium, verum cùm tot jam diebus nihil de illâ reſciſcere nos Fortuna voluerit, omnia in vanum laborantes, conſultiſſimum videtur ad illum regredi, ut qui tanto jam tempore ſodalitate noſtrâ careat. Poſtquam finem dicendi Polydorus fecit, obſtupuerunt omnes ad miraculoſa iſta infortunia; & Marcelio, poſtquam largis lacrymis Alcidam ſuam defleverat, quam maximâ brevitate Germanis etiam ſuorum caſuum fabulam recenſuit, quid nimirum ipſi malorum exhaurien-

dum fuerit, ex quo ab illis fuerat avulſus: Diana vero & Iſmenia præſtitâ audientiâ ſermoni Polydori, ſummoperè ſtudebant iter ad Feliciam reſumere; altera quidem, quod certò jam comperiſſet eo loci Sirenum eſſe, altera, quod tantas ejuſdem Antiſtitæ laudes audiens, ſpem conciperet animo, & ipſam ſeſe aliquid, de Sapientiâ ejus, malis ſuis remedii quæſituram. Hoc ſtudens Diana, quamquam antè placuerat aliquot horas in loco tam commodo atque amœno permanere, recreandi ſui, & caloris eximendi gratiâ, mutavit conſilium, majoris faciens conſpectum Sireni, quam, licet commendatiſſimam, Luci hilaritatem, friguſque blandiſſimum; & ſurgens ſeſſione Berardo & Tauriſoni paſtoribus dixit: Fruimini paſtores, ſuaviſſimâ Nemoris hujus delectatione, viridariique auræ feliciter indulgete; nos quidem non patitur iſthîc vobiſcum diutius morari gravitas cauſſarum, quæ ad Fanum Dianæ nos evocant: Satis equidem nobis ægre eſt relinquere tam citò locum tam amabilem, cum contubernio tam optabili veſtro, tamen cogimur Fortunam noſtram illuc ſequi. Tam igitur crudelis eris, ô Nymfa, Tauriſo excla-

exclamavit, ut tam repentè te oculis nostris eripias, tamque prorsus brevi spatio nos alloquiis tuis frui permittas? Tum Marcelio ad Dianam vertens; Formosissima, inquit, Nymfa, bona ratione nituntur hæ pastorum querellæ, Aequitasque ipsa poscit, ut aliquid etiam insuper eorum petitioni concedas. Fides enim ipsorum constans, & verus Amor meretur, ut illis ad tempus etiam porrò aliquod conversationem tuam non invideas, in isto præcipuè tam admirandæ amœnitatis loco; cumque suprà hæc omnia supersit etiam tibi plurimum diei Templum illud petitum veniendi, priusquam Sol eum in noctem ducat. Omnibus eadem cum Marcelionis sententia fuit; quibus, ita consentientibus, ultrà refragari etiam Diana noluit, quin, quo prius consederat, locum rediens, tam honorabili societati maximè complacere studeret. Ismenia tum ad Taurisonem & Berardum; Pastores ait, eximii, quoniam Diana non negat vobis præsentiam porro suã, nulla vos Ratione nobis cantiones vestras poteritis: Ordimini igitur egregium aliquod melos, ô Cupidinis officiis destinati Pastores, qualibus clarè vos dexterrimos

antè probaſtis, junctis veri vivique Amoris indiciis, adeò ut alterius gratiâ omnibus ſitis quam commendatiſſimi, altero autem corda audientium in commiſerationem ducatis omnium. Omnium, reſpondit Berardus, præter unius Dianæ; plorare ſimul incipiens, ut Diana ſubridere. Quod cum Amator opilio animadvertiſſet, ad ſonum ſambucæ ſuæ, lacrymis lumina oppletus, cantum exorſus eſt, eam cantilenam exponens, aliâ ſuâ, quæ iſto modo concipitur.

CANTIO.

Hæ juges lacrymæ in ſaxo ſigna apta relinquunt,
At nequeunt veſtro in corde, dolore meo.

EXPOSITIO.

Nobilitas animi, & morum tua, Gratia pollens,
Non nolit noſtris ſe dare ſervitiis.
At quî triſtitiæ mala nil mea conſiciunt, quâ
Inclines noſtris pectora cordoliis?
Quamcunque in miſero, conſtans Amor, omnia verſet
Viſcera, nulla movent tormina duritiem.
Quamlibet has videas contrà, noctesq́;, diesq́;,
Depluere in gremium per faciem, lacrymas.
Fortis in hoc, noſtri conſumtrix, illa tua eſt vis,
Cor tamen hoc longè fortius, iſta ferens.

Sint

Sint licet atroci, mala cætera, plena furore,
Suevit atrox tamen hic cedere sæpe furor.
At quæ continuâ, pestis, vice, pectora torquet,
Ipso etiam in saxi robore signa facit.
Pestis, Amor, blanda est, & deliciosa dolorum,
His mihi tu cunctis unica materia es.
Solus Amor miseris torret data viscera flammis,
Mutuo ubi affectu deficiente, furit.
Hæc mea mortifica est mihi Pœna, quod in me Amor ille est,
Vt Naturâ istis insitus in latebris,
Vt benè mî faciat; sed uti mala sola receptem,
In vestro numquam est corde, dolore meo.

Optimè afficiebat Dianam cantio hæc Berardi; verum ejus omnem scopum in eo esse ut cor ipsius, quavis petrâ durius, demonstret, sentiens; æstimationi suæ succurrendum arbitrata est, quare ita locuta est. Sanè, per vitam meam, jucunda res est solitariam quampiam nominare duram, & pro crudeli insequi, Pudicitiæ, Honestatisq; sue studiosam. Utinã optime Pastorũ, nõ plus tristitiæ apud animum meum esset, quã in corde est duritię. Verũ, ah dolor, quod Fortuna mea tã suspicioso marito me mãcipio addixit, cujus sinistris moribus sæpe cogor in montibus his campisque parum omni-

no civilem me paſtoribus exhibere, ne domi poſtea amarè mihi expetat blandius illis collocutam eſſe: Et ſuper hæc omnia matrimonii noſtri vincula, & Ratio me ipſa attinent, etiam ſolum amare & quærere, vel ruſticum iſtum, & barbarum conjugem meum, licet non neſciam innumera mihi cordolia inventionem ejus de novo parituram. Tum Tauriſo, occaſione ſumtâ de querimoniis Dianæ ſuper infelici ſuo matrimonio, incepit ſuam quoque pulſare ſambucam, cantando ſimul alloqui Amorem, & exponendo cantiunculam, ſic ſonantem.

CANTIO.

Pulcra malè hæc nupta eſt, quantum vidiſſe recordor,
Nulla hujus formæ ſe æquiparare queat.
At tu ſi capiere, Amor, ipſe, ut Amator, Amore,
Iure meâ me tu vitâ, adeò, exſpolies.

EXPOSITIO.

Stultitia eſt, Amor Alme, in pulcræ ſorte Puellæ
Numine Fortunam plura valere tuo.
Forma tibi adſcripta eſt; uti ego puto; noxia veſtra eſt
Quod formoſa malo eſt nupta puella viro.

Quippe

Quippe tibi addicta est formæ præstantia, & à te
Sponte suâ nolens, corda hominum excruciat.
Sic mea Firma Fides, & Pœna mala, utraq; cõstans,
Non quia vidi aliquam, pectora victa tenent.
Sed quia quam vidi, visarũ est præcipua omniũm,
Nulla hujus Formæ se æquiparare potest.
Tu tot, Amor, mactas, ut, cum confeceris omnes,
Sperem in te versô velle furore mori.
Quam benè de proprio læsus videare dolore,
Cum Hærebis propriis, perfide, compedibus!
Namq; ut Ames, nequeas ullum, te præter, Amare,
Sic tua te tangent vulnera, Amoris opus.
Tum duplici poteris homines torquere dolore
Nec tibi cum parces; Sic te ego justum habeam!
Quod si tum accusem, responsio promta feratur,
Vt ratio ipsa tuis militet auspiciis.
Cum te ipsum occidas, cum in te tela asperavertas,
Iure meâ me tu vitâ adeo exspolies.

Hæc quoque Taurisonis cantilena maximoperè omnibus grata erat, præcipuè autem Ismeniæ; Quamlibet enim materies ipsa Carminis in solam Dianam, utpotè male nuptam, directa videretur; Expositio tamen ejusdem, generatim de Amore conquerens, omnibus erat cõmunis, quęcunque ejus imperio adversi quid paterentur. Qua de causâ Ismenia, ut quæ dolo-

rum ſuorum partem Cupidini reſcriberet, non ſolum delectabatur convicia, quibus illum inceſſebat Tauriſo, audiens; Verum & ipſa, ad accentionem Lyræ ſuæ; eiuſdem argumenti carmen canere voluit; quod à Montano quondam, dum Amore adhuc eius multa pateretur, compoſitum, memoriâ tenebat.

Nemo uti te excuſet, contrà vel dicere poſſit,
O qui me, exſenſo pectore, perdis, Amor:
A Sole Exoriente Mæotidis uſq; paludes,
Facta tui immanis, Fama, animi excipiet.
Nunc meo ego è portu navim propellere nolo,
Sive Euri ſive Auſtri illam animæ ambierint.
Aeſtibus illa tuis, & tempeſtatibus, exlex,
In nullo poſthac non ſua turbine erit.
Si cum, te patior, tibi vultum obverto, volentem
Reſpirare, tuorum ira furorum abicit.
Sic deſiderii perit in me vis; tua peſtis
Vim mihi dat vitæ, meq; ſimul perimit.
Sic neq; portum unquam teneam, nec habere volam ullum.
Sed mea mî incident tempora, longa Mala.

Non diu moratus reſpondere huic, Marcelio, aliud carmen propoſuit, eiuſdem ſententiæ, eodem modo compoſitum, uno demto; quod, quas querelas iſte dabat, non

in

in ſolum Amorem directæ eſſe noſcebantur, ſed in Fortunam quoque ſimul, atque ipſum canentem.

Surdam ego mortis opem ſenſim ſequor, idque per altum,
Per campos, monteſq́; & nemora, & ſilvas.
Sic mihi ſe vitæ clauſit via protenus omnis,
Non uno ut poßim certus abire gradu.
Cum mea continua iſta animus mala cogitat in ſe;
Vt reſpirandi copia cuncta fugit:
Cor mihi, acuta novacula, atroci volnere percit,
Vt mètuam vitæ deliquium, atq; animæ.
Diva rotans jugi circum ſe circite contrà,
Contra Amor, atque Egomet, me, gravia Arma, fero.
Illa ſuam neſcit rotam in ullo ſiſtere agône,
Quin me, more ſuo perpete, circumagat.
Ipſe ego, & Acer Amor ſic iungimus aſpera duris,
Vt neq; iam tempus his quoq; ſit lacrymis.

Deſiderium, quo, Diana, tenebatur proficiſcendi ad Feliciæ domicilium, non patiebatur eam diutius hoc loco commorari, ut & aliorum alia carmina auſcultaſſet, igitur finem faciente canendi Marcelione, ſurrexit Idem fecere Iſmenia, Clenarda, & Marcelio, cũ viderent id iã concluſum Dianæ eſſe, quamquam nõ ignorarent nõ con-

gè abesse quo contenderent, superesse verò etiam plurimum temporis, ut eo ante noctis superventum appellerent. Relictis itaq; Taurisone & Berardo, de Fonte Bello processerunt, eâdem semitâ, qua ad illum grassati fuerant, iter carpendo per medium saltum, ut ejus deliciis & amœnissimo spectaculo fruerentur prolixius; Hinc egressi, planitiem quampiam institerunt, amplam, lateque patentem, jucundam admodum prospectu: Hîc incidit expendere quo potissimum pacto animis suis novam hilaritatem darent, ut quod restabat itineris, quam maximâ possent, suavitate condirent: quisque consilium suum, quid factu optimum ipsi videretur, in medium proferebat. Marcelio vero, qui numquam non occupatam mentem imagine Alcidæ suæ habebat, nullâ æquè re afficiebatur, quam cõtemplatione gestuum, & auditione sermonum Polydori & Clenardæ; & ut illo suô gaudiô pro arbitratu frui posset, dixit: Non possum persuadere mihi, Nymfæ, omnia ista vestra oblectamenta comparari posse cum isto solo, quod capere poteritis, si Clenarda vobis voluerit recitare quid boni illa in actis campisque Guadalaviri

flumi-

fluminis iſtius compererit. Ego ſemel illac tranſire me memini, cum peregrinarer etiam, verum non datum eſt mihi lubitu meo frui deliciis ejus regionis, quoniam corde meo omnis procul delectatio aberat. Verum nunc, quoniam & duæ nobis horæ conficiendi itineris ſuperſunt, ipſum autem ſpatium vix dimidiam totam requirit, eamus, ſi placet, pedetentim, ut illa nos participet nonnullis, terræ illius amœniſſimæ, fabulis, quarum utique plurimas novit. Diana & Iſmenia, geſtu fatebantur, quam optimè ſe huic propoſito aſſentiri, velleque narrantem ſtudioſè audire: & Diana, quamquam miſerè cuperet maturius ad Templum adeſſe, ne extremæ ſuæ cupidinis indicium indecentius faceret, reliquorum voluntati accedere cogebatur. Clenarda tum, rogata à Marcelione, paulatim procedendo, hoc modo ſermocinari exorſa eſt. Quamquam infantia linguę meæ, & ruſticitas, minimè comti ſermonis, multum detrituræ de rei propoſitæ dignitate videantur, dicere tamen vobis aliquid de Amœnitatibus & deliciis Valentinorum cultorum volo, ut potius eô modô auribus veſtris injuria ſim, quam voto volun-

ratique contraveniam. Non iam per partes decora, & fertilitatem uberis ſoli, commendare inſiſtã, non amœnitates ſemperflorentium cãporum, pulcritudinem, celſiſſimorum mõtium, Umbras viridium ſilvarum, hilaritatem limpidiſſimorum fontium, Modulationes adcinentium avicularum, blandiſſima frigora adſpirãtium ventorum, divitias paſcuorum, & gregum, formoſitatem populoſarum urbium, & villarum, Egregios humaniſſimoſq; mores cultorum; miracula ſumtuoſiſſimorum templorum, neq; alias infinitas regionis huius laudes, quibus par eſt celeberrimis quibuſque; hæc enim omnia prolixius omnino tẽporis ſpatium, maiorem eloquentiam, & confidentiorem Panegyriſten requirunt. Verùm, ut de nobiliſſimâ parte horũ præconiorũ aliquid cognoſcatis, recitabo vobis carmen prolixum quod Regem fluviorum per hos campos, Turiam, canere aliquando audivi. Acceſſimus quondam iunctim, ego & Polydorus, ripã huius Fluminis, ut è paſtoribus diſceremus viam quæ ad Templum Dianæ, domumq; Feliciæ duceret, hi enim totâ illâ regione optimè illam cognitam habere perhibebantur; hoc inſti-

tuto

tutò ad bubſequarum quorumdam tuguria venimus, quos ſuaviſſimè tum canentes offendimus. Rogavimus hos quodvolebamus, qui, prolixâ humanitate, quicquid ejus ipſis erat perſpectum, nos edocebant; addentes, quoniam tam opportuno tẽpore fortuna nos iſthuc advexiſſet, non gravaremur, neq; omitteremus, participes nos facere audiendo, egregii carminis, quod celeberrimus Patriorum fluviorum Turia, cis dimidiam horam, non longè iſthinc, cantaturus eſſet. Aſſenſi ſumus adeſſe tã celebri feſtivitati, & nos ad iter cũ illis accinximus. Paullum comitatu iſtó proceſſeramus, adverſo flumine gradientes, cũ in ſpacioſum campum ventum eſt, cujus planitiem occupaverant denſi Nymfarum indigenarũ chori, Paſtores, puellæq; paſtoritiæ, omnes attentis animis celeberrimi fluminis cãtum præſtolantes. Non diu poſt vidimus ipſum ſenem Turiam, profundiſſimâ quadã ſpeluncâ progredientem, manu altera Urnam ſuam amplexum, grãdem prorſus, & fabarrimè elaboratã, Caput frõdibus quercinis & laureis coronatũ, brachia villosũ, barbis limo horrẽtibus, & incanis. Mox vicino ceſpite cõſidens, acclinis immenſã copiã niti-


dissimarum aquarum profundenti Urnæ suæ, vocem raucam, & coactam, levans, hoc modo cantare exorsus est.


El singiente canto, para ser hecho à las alabanças de Varones muy señalados del Reyno de Valencia, cuyos nombres, y virtuosas ationes no son conoscidas en otras tierras, no es traducodo para mi en Latin, comolos otros hasta aesse, tratantes cosas de Amores pastoriles, y plazeres de Nymfas enamoradas, donde las ficiones tocan à todos los hombres sujetos al poder del valeroso Cupido, y su madre la mas renombrada Diosa de los Poetas.

Hoc erat carmen Celeberrimi Turiæ, cui audiendo maximâ attentione adfuerunt Pastores, & Nymfæ, tam dulcedine atque suavitate illius perceptæ, quam propter laudes eximiorum virorum, quos terrę patriæ Numinis vaticiniũ promittebat. PLurimas alias res enarrare vobis possim, quæ per spatia felicissimorum illorum camporum vidi atque audivi, verum excludit jam narraturam, molestia, quam hucusque de prolixo meo sermone cepistis. Multum mirabantur, Marcelio, & puellæ Comites, omnia quæ ex Clenardâ audiverant, & cum finitô sermone viderunt se jam propinquos

pinquos Templo Dianæ, jamque agnoſcere præcelſa ejus faſtigia incipiebant, quæ ſuper cacumina arborum undique circumſitarum, proſpectabant: Verum, antequam prorſus Palatium ampliſſimum accederent, inciderunt in Nymfam quampiam, de prato proximo legendis floribus occupatam; cujus nomen & quæ conſpectum ejus inſecuta ſunt, ſequens vobis libellus manifeſtabit.

FINIS LIBRI TERTII.





C. BARTHI NEMORALIUM
LIBER QVARTVS.

MAXIMÆ sunt, creberrimæque audiuntur, querelę, quibus Fortunę impotentiã pleriq; mortalium incessunt: Nõ forent autẽ, dubio procul, vel tã frequentes, vel tã asperæ etiã, si iidẽ perpenderent insignem uberemq; egregiorum bonorũ proventũ, quæ de eiusdẽ mutabilitate, atq; inconstãtia, ad ipsos redire solent. Qui infelici rerum statu cum ærumnis conflictatur, cupitq; exinde mutare Fortunam mœrorem suum, nullâ ratione ejus increpare & convitiari mutabilitatem poterit, cum aliquis contrarius eidem casus acciderit. Verum cum naturâ suâ Ea sit tam in bono feliciqueque, quam adverso maloq; rerum usu, instabilis, prudentiâ pectus muniti hominis erit, nõ dare

animum ſuum dulcedini Voluptatis à Proſperitate oriundæ, neque deſperationem ſequi cum malorum aliquid tolerandum incubuerit; Contrà vero per omnia atque nullibi non, prudentiâ tali vitæ ſuæ ordinem moderari, ut præterfluere ſinat Delectationes Felici ſortis favori debitas, inſtar rerum prorſus loco manere neſciarum; Dolores autem ex adverſitatibus provenientes, pro iis æſtimet qui quandoque finem ſint habituri. Hoc genus hominum diffiteri nolim peculiari Deo curæ eſſe; qualis erat noſter afflictus & triſtitiæ ſubditus Marcelio, quem mediis ærumnis ſuis eripuit, interventu, Sapientiſſimæ mulierum, Feliciæ; quæ cum apud animum ſuum præſenſiſſet, Marcelionem, Dianam, cæteroſque domum ſuam venturos, juſſerat formoſam illam Nymfam in pratum, habitationi ſuæ proximum, progredi, ut illis certam rerum noticiam daret, ipſæque iſtæ expediri commodius eum in eventum poſſent, quem illa per Sapientiam ſuam omnium maximè negotiis univerſis conducibilem futurum præceperat. Igitur cum Marcelio & cæteri ad locum ubi Nymfa conſtiterat, veniſſent, ſalutem ipſi imperti-

ti ſunt

ti ſunt cum maximâ, quâ poterant, comitate; quam illa, non diſſimilibus Gratiis acceptam, ipſis remetita eſt. Hinc rogare inſtitit, unde iter haberent, qui ad Dianæ Templum ſeſe proficiſci, reſponderunt. Tum Aretea, hoc enim vocabulum Nymfæ erat, illis dixit: Ut habitu ipſo atque indole veſtrâ commonſtratis, magnarum vos virtutum eſſe, non poterit omittere Felicia, cujus ego Nymfa ſum, veſtro contubernio, & ſodalitate animum ſuum exhilarare. Et, quoniam jam dum Sol in Occaſum proclivis eſt, ego vobiſcum illûc revertar, ubi recipiemini cum, quam fieri poterit, maximâ feſtivitate. Multis illi puellæ gratiis, ob tam amicabilem invitationem, redditis, comitatui ſuo eam adſciſcentes, junctim iter verſus fanum perrexerunt.

Maximam bonam ſpem de ſermone hujus Nymfæ omnes conceperunt, Polydorus vero & Clenarda, qui aliàs jam in domicilio Feliciæ fuerant, non meminerant eam inibi vidiſſe, neque prorſus agnoſcebant. Hocq; propter copiam talium puellarum, quas Sapiens Antiſtita, ſemper miniſteriis ſuis promtas, habebat, præfectas

ſingulas ſingulis operibus, & loco non eodem habitantes. Hac propter nomen illam ſuum interrogarunt, quod Areteam eſſe volens confeſſa eſt. Tum Diana quid novarum rerum illîc audiretur percontari; reſpondit Puella, Quod maximè recens eâ regione accidiſſet, eſſe, ante duas horas Antiſtitæ domum appuliſſe Virginem quandam Nobilem, habitu paſtorali, quam ibidem cum ſenex quidam conſpicatus fuiſſet, agnoverit pro filiâ ſuâ, quæ multo jam tempore pro perditâ ubique regionum æſtimata fuerit. Cujus quidem inventionis tanta lætitia fuerit, ut domum univerſam perfuderit exſultatione. Nomen Senis, inquit, ſi ſatis, memini, Eugerius eſt, puella, ejus libera, Alcida perhibetur. Quanto hæc narratio Marcelionem gaudio perfuderit, cuilibet prudenti rerum expendendũ relinquo: Exclamabat ſanè in hęc verba. O fortunatos labores qui tam optabili fine coronantur. Ah ah; & cum pergere plura vellet, cor illi velut conſtrictum defecit, lingua velut confixa obmutuit, totoq; corpore repente in ſolum procidit, animum delinquens. Diana, Yſmenia & Clenarda ad jacentem conſidentes

dentes nihil reliqui fecerunt ut verbis & factis ſibi eum reſtituerent: nec ſanè multum moratus, recuperatis viribus, ſeſe erexit. Non parum etiam Polydorum & Clenardam tam felix nuncius hilariores fecit, videntes tamdem ærumnis ſuis finem impoſiturum adventum Alcidæ ſororis germanæ; Diana pariter & Yſmenia multum novi gaudii exinde quoque ſuſceperunt, tam quod ſodales ipſarum Votis ſuis potiti forent, quam quod ſperarent, ope Antiſtitæ Sapientiſſimæ, ſuis etiam curis remedia obventura; quæ quidem ſolens talia patraret miracula. Diana, ut de Sireno ſuo aliquid etiam audiret, Nymfam hoc pacto alloqui voluit. Formoſiſſima puella, magnâ me lætitiâ affeciſti, impertiens narratione rerum tam optabilium, quales in palatio Dominæ tuæ Feliciæ modo contigiſſe audivimus, ut nimirum Alcida eò advenerit; Verum majore etiam voluptate me afcies, ſi nomina illuſtriorum paſtorum, qui inibidem modo degunt, recenſere nõ gravaberis. Reſpõdit Aretea. Multos eg egios illîc paſtores invenies; quorum autẽ inter inſigniores nunc vocabula occurrant, ſunt,

Silvanus & Silvagia, Arſileus & Beliſa; Et unus inter omnes maximè conſpicuus, quem Sirenum vocant, cujus Virtutes maximâ apud Feliciam exiſtimatione ſunt. Verum ille idem, tam inimico animo erga Amoris omnia eſt negotia, ut omnes mirificè, qui quidem ibi ſunt, ea res miros habeat: Pari animo eſt & recens agnita Alcida, ita quidem, ut ex quo iſta illuc venit, par hoc non ceſſaverit junctim incedere, & de nullis aliis rebus colloqui, quam de Oblivione, & quæ alia Amori ſunt adverſa. Neque ego aliter æſtimare poſſum, quam eâ ſolâ gratiâ Dominam meam hos duos domum ſuam adſciviſſe, quam ut matrimonio jungeret, quoniam ambo ejuſdem ſunt ſententiæ, animiſque tã paribus. Neque obſtiterit illum paſtorem eſſe, puellam autem illuſtrem genere, cum Feliciæ parum laboris fuerit, addere viro tantum pretii ab opulentiâ & Sapientiâ, quæ vera nobilitas eſt, ut nequaquam illâ indignus iudicari valeat. Hunc ſermonem proſequens Aretea, & ad Marcelionem ſe vertens; Huius ergo, ô paſtor, inquit, quoniam vides Votum tuum in eo eſſe ut in alterius poteſtatem veniat, optimè feceris, ſi

nec

nec unô te porrò hîc momento detinueris;nam si tempori adveneris, poterit ut Sireno isti felicitatem iam præparatam, præripias. Diana, his auditis, maximo cordolio affecta est, quod equidem verbis & lamentis expressisset, si pudore non prohibita, & honestatis respectu, fuisset. Eumdem dolorem eadem de caussâ sensit Marcelio, & tantâ quidem atrocitate, ut animam iam iam acturus sibi videretur: Hoc pacto idem velut mucro corda Marcelionis & Dianæ uno ictu transigebat; amborumque animæ eodem vulnere percellebantur: Ille matrimonium Alcidæ cum Sireno metuebat; hæc Sirenum iungi Alcidæ. Nymfa ipsa speciosissima optimè norat & Marcelionem & Dianam, cum cæteris omnibus, verum, ut sapientissimum Feliciæ consilium fuerat, simulabat alia omnia, & hanc illis fabulam deditâ operâ ludebat; veritatem in eo recensens ut Marcelio ex inopinato cor lætitiâ perfunderet, figmentum altero proponens, ut eò magis accenderet desideria eiusdem, & Dianæ: uti nimirum prægustatâ hac amaritie, dulciora illis venirent gaudia mox secutura. Appulerant iam in planitiem latam & amœnissimam,

quæ proxima portæ palatii erat, cum viderunt obviam prodeuntem matronam venerabili figurâ, ſtolam ex holoſerico mero amictam, incinctam longiſſimis & candidiſſimis velamentis lineis, comitatam tribus, longè formoſiſſimis, puellis; qualem Sibyllam illam gravitatis venerandæ Poetæ crediderunt. Hæc ipſa erat, illa Sapiens, Felicia, quæ illam ſtipabant Nymfæ, Dorida, Cynthia, & Polydora. Aretea propior Dominæ ſuæ facta, poſtquam ſocias itineris hanc eſſe Antiſtitam, edocuiſſet, flexis poplitibus illi accubuit, & manus ejus exoſcular[illegible] eſt; qu[illegible] ipſum, inſecuti, fecerunt & reli[illegible] cia geſtibus monſtrabat pergratum habere adventum omnium, manuq; gubernante jucundiſſimam vocem, Generoſi, inquit, juvenes, voſque Puella nobiliſſima, & egregiæ Nymfæ, quamquam ingens eſt voluptas quam de adventu veſtro capio, nõ erit, puto, minor quam de conſpectu noſtro vos recipietis. Verum quoniam fatigati itineris mihi moleſtiis adeſſe videmini, ite nunc refocillatum amiſſas vires, obliviſcimini intereà tormentorum veſtrorũ; quippe prius non poterit vobis defieri domi
meæ,

meæ, alterum autem ut potiamini, ſapientiæ noſtræ potentia proſpexerit. Nihil non gratiarum tam voce quam geſtibus Antiſtitæ egerunt omnes, poſt, ut juſſi erant, ſeceſſerunt. Polydorum & Clenardam iſtic manere volebat Felicia, dictitans eſſe ſibi quod cum iis loqueretur. Cæteri, iterducâ Areteâ, in ſplendidiſſimi palatii deſtinata loca hoſpitatum abducti ſunt: Illic ſinguli omnibus neceſſariis ad refectionem egregiè illam noctem curabantur. Domus ipſa tam magnifica & ſumtuoſe conſtructa erat, tot Opulentiſſimis ornamentis expolita, tot amplis hortorum cultis exornata, ut nihil ſit quod decorum ejus vel partem exæquare poſſit. Non jam in eo ſum ut ſeriem narrationis morer exigendis & enarrandis omnibus ejus divitiis, atq; ornamentis, quoniam alibi prolixè omnia executus ſum. Hoc ſaltim recenſebo; Marcelio, Diana, & Iſmenia, ducti ſunt in diverſa duo Palatii conclavia, auro textis tapetibus ſericoque elaboratis, ſplendida, qualium lautitiarum uſus ſanè infrequens paſtorum obveniat ſimplicitati. Cena ipſis inibi ferculis plurimis, & delicatiſſimis, opipara

præbita eſt; præminiſtratum vaſis aureis, & cryſtallinis; Cum dormiendi hora veniſſet, talibus lectis illocati ſunt, ut corpora, quamvis fatigata admodum doloribus animorum, & itineris moleſtiis, advenisſent, facilè tamen tam mollibus & curiosè conſtructis plumarum fulcris, reficerentur; accedente præcipuè ſpe remediorum, quæ Pœnis amantium Felicia promiſerat, ut ita dulci & tranquillo ſomno benè ſe compoſuerint. Alterâ parte Felicia, ſtipata tribus ſuis puellis, Polydoro etiam, & Clenarda, quibus omnibus injunxerat ne quicquam de præſentiâ Marcelionis, Dianæ, & Iſmeniæ, edicerent, in amœniſſimum ſe hortum contulit, ubi conſpicati ſunt Eugerium cum filiâ ſuâ Alcidâ, porticu proximâ ſpatiantem. Felix & Feliſmena, Sirenus, Silvanus, & Silvagia, Arſileus & Beliſa cum alio quopiam paſtore, longius illinc ad oram fontis, juxtà ebullientis, Conſederant. Nondum poſuerat habitum paſtoralem Alcida, quo eâdem die eôdem venerat, itaque illico à Germanis ſuis agnita eſt. Gaudium quod tres iſti, frater & geminæ ſorores, ceperunt, junctos ſe illîc videntes, quodque pater ſenex ſe illoſ-

que

que ibidem ſalvos recipiens, hauſit, lætitia, quâ in mutuos, poſt tantum temporis, amplexus ruerunt, Lacrymæ quas oculis deſiderio diffluentibus, effuderunt, verba, quibus gratulationes mutuas, & hilaritates conteſtati ſunt, rogationes etiam, quibus in alterius res alter inquiſivit, non eſt ut verbis ullis edici valeant. Magnâ lætitiæ ambitione Alcida germanos ſuos excepit, majore tamen Polydorum, quam Clenardam, ſcilicet ſuſpectam etiamnum iſtam habens amati Marcelionis, cum quo abierat, ipsâ in inſulâ ſolâ relictâ, uti ſuprà vobis enarratum eſt: Felicia verò ei eximere iſtũ errorem ſtudens, & tantis infortuniis finem tamdem imponere ſatagens, ita prolocuta eſt. Formoſiſſima Alcida, quamtumlibet fortuna triſtibus te, & dolorificis, ærumnis diſtulerit, inimico odio uſquequaque pertinaciter perſequens, non negabis tamen, opinor, hac præſentium rerum exultatione vindicatam te ab omnibus adverſi numinis iniuriis. Et quoniam error ille, quo hactenus percepta fuiſti, Marcelionem tuum, abſque merito ipſius ullo, abhorrendo, & fugiendo, ſatis validus fuit ad pectus tuum lancinandum, pluri-

mum tibi erga illum odii inſpirans; opus nunc erit, ut omnis ſuſpicio corde tuo egeratur. Quod de Marcelionis animo in te ſuſpicaris, contrarium planè illi eſt, quod is de te ſentit; quod enim in inſulâ illâ ſolâ relicta fueris, ille extrà culpam eſt; iſta vero tota proditoris ſcelerati unius, & adverſantis Fortunæ eſt. Hæc nunc, ut ſatisfaceret damnis tibi datis, te huc domum meam induxit, in cujus ore confidere potes nihil te omnino falſitatis inventuram. Omnes hujus univerſæ rei circumſtantias largè tibi enarrabit Clenarda; audi eius dicta, verbis ipſius crede, quippe per me ipſam tibi iuro, omnia quæ horum caſuum tibi recenſitura eſt, veriſſima & certiſſima eſſe. Ingreſſa ita tum eſt Clenarda recenſere per ſingula, quicquid acciderat, eximens culpâ Marcelionem, atq; ſeſe ipſam, recitans perfidiam Bartoſani, cum cęteris, quę audita ſunt hactenus. Quibus quidem ordine auditis, Alcida, prorſus animo ſuo odium ſimul Marcelionis, cũ errore ſuo expulit, maximè ſibi ſatisfactum per omnia putans. Hinc Amor dudum apud eam ſepultus, tam commendatione & auctoritate Feliciæ, quã priſtinę dece-

deceptionis amolitione, recipere amiſſas vires exorſus eſt, & velut ſomno excitatus, aut cinere evolutus, redire in lucem & reviviſcere, animæ penetralia occupans. Igitur ita Feliciam allocuta eſt. Sapientiſſima Domina, optimè agnoſco errorem meum, & inſigne tuum in me beneficium, quæ eo me exuere voluiſti, verum ſi ego iam libera deceptionis meæ, Marcelionem iam amare cupiam, erit certè tamen imperfectum gaudium meum, & non plena hilaritas, qualem de manu tuâ exſpectaverim, illo abſente, uti nunc eſt; ſed huius vicem tam enormibus denuò pœnis deſiderium præſentiæ me eius percipiet, ut remediandis doloribus meis, novā omnino abs te gratiam poſcere cogar. Reſpondit Felicia. Optimum Amoris indicium eſt, metū habere animo abſentiæ; verū hæc nō multum tibi moleſtiæ confecerit, quoniam ego in me recepi curam ſalutis tuæ. Sol iam dum nocti conceſſit, hora iam poſcit nocturna in ſoporem; abſcede tu nunc cum patre & Germanis tuis cubitum, quod reſtat mane craſtino à nobis diſputabitur. Cum dicto hoc faceſſit ipſa horto, eāq; ſequuntur Eugerius cum liberis ſuis, quiſ-

que eum Palatii locum concedens, quem Felicia ſingulis adſignaverat, qui quidem omnes ſeparati iis erant, quibus Marcelionem cum comitatu ſuo eadem Antiſtita deſtinaverat. Remanſerunt aliquantiſper ad fontem Felix, & Feliſmena, cum cæteris paſtoribus, poſt cenatum abierunt & iſti, conſpondentes reventuros eôdem ſequenti die, & quidem horâ unâ ante exortum Solis, ut frigidiuſculam primæ diei auram carperent. Verum uti ſpes futuræ Voluptatis ipſos fecit noctē tranſigere nō ſine ſollicitudine, omnes benè manè cubilibus ſeſe levarunt, ita ut etiam antè condictam horam convenirent ad fontem, quiſque Muſicis ſuis inſtrumentis inſtructi. Non defuit Eugerii ſenectus cum liberis ſuis, quin eodem & illi ſummô diei diluculô adeſſent. Cæperunt itaque Muſicis ſuis inſtrumentis inſonare, cantare ad fidium ſonum, & nihil non movere, unde hilaritas provocaretur, ad imminentis Lunæ lumen, quæ pleno tum orbe amœnitatem horti inſpiciebat; ut non multum de morâ diei queri haberent. Marcelio, Diana, & Iſmenia, duobus diverſi cubiculis pernoctabāt, ita tamen ut latus tranſverſum alterius, alterius

terius tegeret longitudinem; utriusque fenestris in horti planiciem despicientibus. Per has quamquam fontem ipsum conspicere non poterant, propter densum & procerum Platanona, qui medio loco florebat, audire tamen voces colloquentium inibidem non prohibebantur. Ismenia igitur cum prima tumultuationes advenientiũ, & canentium susurros percepisset, excitavit Dianam. Hæc suscitata non cessavit pugno pariedem percutere, intermedium duobus dictis conclavibus, uti excitaret & Marcelionem; ita omnes sese fenestris applicuerunt, à nemine visu audituve percipiendi. Marcelio summâ attentione auscultabat, si quà forte fortuna Alcidæ vocem agnosceret. Dianæ par cura erat, notare Sireni cantum cupienti. Sola Ismenia spem nullam habebat audiendi Montani sui, quem illo eodem loco esse prorsus ignorabat. Nil minus tamen hæc optimam fortunam experta est; eô quippe momentô pastor quidam hunc in modum ad sonum fistulæ suæ canere incipiebat.

Aurora pulcra, purpurâ Ambrosiâ rubens,
Noctem invenustam dissipat,

Tenebras profundas clara confutat dies,
In prata Nymfæ prodeunt,
Aer venustis exsonabit cantibus,
Avium canore percitus.

†

Felicitate me suâ vincunt aves,
Primum salutantes diem.
Hilari Camænâ; me pari tristem modo
Aurora, ceu nox, invenit.
Dies serena est, floridi campi; mihi
Cor triste, mens hilaris parum.

†

Superata nostra est anima tam mæstâ nece,
Vt nec canens avium Chorus
Nec prata, nec juga, ad resurgentem diem
Rubore picta lucido,
Noctem meis fugare de Curis queant,
Nec triste de linguâ melos!

†

Amissa numquam me revisura est dies!
Nec triste vox nihil dabit.
Perpetua nox mî, quamlibet cantent aves,
Incumbit; ut maturius
Aurora pratis purpuram induat novam,
Nil inde ego fruar boni!

†

O tristis hortus, pratum iö mæstissimum,
Cum nequeat hæc voces meas

Audire, forma cujus Auroram premit,
Vincitq; Apollinem nitor.
Aves canoræ, ne mihi molestiæ
Sitis, sine hâc nox est dies.

†

Nocte in quietâ, cum per urbes, per juga,
Vallesque, ruraq;, undique
Homines, avesq; conticescunt, carmini
Indulgeo ego tristi magis.
Noctem diemque, mane cum meridie,
Iungens perenne questibus.

†

Sola una noctem vincat hanc tristem meam
Aurora, quæ si prato in hoc lucisceret
Facilè approbaret carmina avium mî omnium.

Confestim Ismenia, quæ per cubiculi fenestellã auscultabat, cognoscebat vocem hanc esse canentis mariti sui, Montani, itaque tantâ animum hilaritate perculsa est quantâ ex alterâ parte dolentiâ, intelligens materiem cantionis. Aliam enim ab se eam esse quam amaret tantoperè Montanus, suspicabatur; non diu tamen erravit hunc errorem, audivit enim statim, finitâ cantione, pastorem cum claro suspirio in hæc verba erumpere. Ah cor mille doloribus fatiga-

tum, quam malè tibi uſu venit credere ſuſpicioni incertæ, & quam meritò pateris hæc infortunia, quorum propria tua tibi levitas cauſſatrix eſt! Ah deſideratiſſima Iſmenia mea, quantoperè melius mecum ageretur ſi ſummus in me Amor tuus, te non cogeret per tanta terrarum ſpacia quærere me, ut agnito errore meo, domum ego rediens, in patrio te pago offenſurum ſperare poſſem. Ah deceptrix falſiſſima Silveria, quam peſſimo facinore fidem erga te ei rependiſti, qui à primâ tibi pueritiâ tantum beneficiorum contulit! Verum ego volenti tibi animo deceptionem hanc mei ignoſcam, & inſuper veritatis mihi narratæ ergò inſigni te aliquo munere afficiam, ſi prius poſſim ad me laremque meum redire, quam uti adventus meus cauſſa mihi ſit novorum denuò malorum. Audiens hæc Iſmenia maximè fortunatam ſeſe autumare cœpit, tantâque animum hilaritate excitavit, ut majorem imaginando conſequi non potuerit. Lacrymæ ipſi largis imbribus per vultum procurrebant gaudio, atque, inſtar ejus quæ propinquum jam ærumnarum ſuarum finem cerneret, ita ſecum locuta eſt. Mecaſtor ap-

pulit

pulit jam demum tempus felicitati meæ destinatum, bonâ fide domus hæc non alio fine constructa est, quam ut quicunque malè fortunati fuerint, in ejus gremio remedia omnium pœnarum inveniant.

Marcelio & Diana, his intellectis, congaudere maximoperè Ismeniæ cæperunt, spem suarum etiam felicitatum animo prę-cipientes. Volebat omni ope Ismenia prosilire de cubiculo suo, & illico in hortum descendere; quam dum retinere Marcelio & Diana student, suadentes, expectandam eo negotio voluntatem esse Antistitæ, audiverunt sonum novi cantus, ad marginem fontis, quo cõfestim Diana Sirenum agnovit. Ismenia & cæteri tum silentio se tenuerunt, ut ne turbarent intentionem amantis, desiderati sui vocem attendentis. In hæc autem verba canere auditus est.

Favore mactus almo,
Amator, esto lætus,
Ego, liber omni ab æstu,
Oblivione cernens
Tormenta prisca vinci.
Sic, post graveis dolores,
Amasiæ favores
Tam serò, & arctè habemus,

Vt major hisce numquam
Sit indigere merces.
Oculi mei, Dianæ
Rescribite omne lætum,
Vitam dat illa vobis,
Dum dura, dum severa est,
Vos liberos facessit.
Quod si ter illa tantum
Sit pulcra, sit cupita,
Amet ter amplius me,
Amata non beet me,
Contemta, quantum, amari.
Videam, Diana, ego in te
Sine spe gravem dolorem.
Sic vulneret Cupido,
Vt ultionem ego à te
Qualem merêre, carpam.
Tam durus esse malim
Ad hos tuos dolores,
Extenta si ad pedes me
Vitam roges, rogatam
Tibi abnuam, Diana.
Dii dent, superba, quæras
Me tu, fugam ipse carpam:
Dicas: vide tuam me.
Respondeam ipse, nolo:

Abi

Abi hinc procul proterva.
Dicas, pati malum te,
Meque esse jam supêrbum.
Quid hoc novæ rei sit?
Respondeam ipse, abibo:
Plorans mane, Diana.
Si credere abnues hæc,
Firmabo ego, atque plura.
Periit tui Cupido,
Tantum te amasse numquam
Odisse, juro, quam nunc.
Benè hostem eum tibi esse,
Qui tam te amavit amens,
Vt passus illa sit, quæ
Tum passus esse novit.
Pedicas modo exit illas.
Casus Amoris omnes
Tam sorte sunt sinistrâ,
Vt sit mage expetendum
Sibi liberum esse quam tam
Vanos sequi favoreis:
O si, Diana, nosses
Hæc, & palam videres,
Quæ mens mea intus infert!
Melius tibi ista dicam
Præsenti, ut hîc adesses.
Sed esse te procul mî

Mage utile atque gratum est.
Nam gaudii bonam te
Visâ, ultionis atque
Partem dolente, perdam.
Ne cernam ego uspiam te,
Nam visceri hic meo sit
Dolor magis cruentus,
Videre te abnuentem,
Quam cum mea esse nolles.

Accidit hîc Dianæ quod iis solet, qui propria sua infortunia indagant, namque perceptis sententiâ & objurgatione Seireni, tanto dolore animum est perculsa, ut verba mihi desint quibus ejus vehementiam proponam; potius sanè est ut ejus æstimationem judicio considerati lectoris relinquam. Sufficiat scire, vitæ, illam, suæ incertam effectam, opus habuisse consolationibus & confortationibus præsentium, Marcelionis & Ismeniæ; quibus sanè non deerant verba, tam atroci malo rationibus leniendo; quarum una fuit ad animum ipsi revocare non tam astrictam esse Feliciæ sapientiam, cujus domi nunc forent, quin etiam majoribus ea infortuniis congruentia remedia sufficere valeret. Ut quidem exemplo jam Ismeniæ præseni clarum factum

ctum ſit, quæ à Montano pariter fuerat ſpreta. Quo quidem modo Diana pro re nata ſeſe conſolata eſt. Dum hæc iſti invicem ſermocinantur, iam clariorem diem aureis auroræ radiis invehentibus, intravit idem conclave, Arethea, Nympha, vultuque hilaritatis indice, ita eos allocuta eſt. Strenui Equites, Nymfæque formoſæ tam fortunatos feliceſque dies vivatis, quā virtuti veſtræ debentur. Sapiens Felicia huc me miſit ſciſcitatum an hac nocte meliori fueritis hilaritate animi, quam adſueti eſtis hactenus. Simul ut veniatis mecum in amœnum hortum noſtrum, ubi illa præſtolatur, habens quæ vobis dictura ſit. Verum tu, Marcelio, opus erit uti deponas habitum iſtum paſtoralem, hacque te veſte induas, quam, ſtatui tuo convenientem, mecum eo fine iſthuc attuli. Nō exſpectabat Iſmenia uti Marcelio reſponderet, ita bono nuntio animum commovebatur; & ipſa; Felices lætique, inquit, dies illi, fortunata virginum, quos nobis tuô iſtô gratioſô adventu attuliſti, à Deo tibi paribus remunerentur, quoniam noſtræ opis non eſt, meritis tuis pares reddere gratias. Hilaritatem animorum, quam de nobis ſcire

desideras, scias non levem esse vel solo eo quod in hâc nunc domo versari nobis contingit; potiorem tamen eô quod hoc ipso mane ego tam fortunata fui, ut vitam receperim, Marcelio autem & Diana spem paris felicitatis. Verum, ut voluntati tam sapientis Dominæ tuæ penitus à nobis obsecundetur, ibimus confestim quo jussi sumus; de reliquo Felicia ut lubet de nobis consulat. Tulit tum Arethea vestem de manibus comitis suæ, alterius Nymfæ, quam Marcelio induere debebat, suisque manibus illum vestire adjuvit: Ipsæ autem tunicæ tam pretiosæ tam auro gemmisque exornatæ erant, ut æstimatio earum difficilis initu fuerit. Ita conclavi illo processere, stipantes junctim præcedentem Aretheam, & foribus Palatii in hortum destinatum transierunt. Erat viridarium hoc cinctum, ab una parte, circumfluente leniter perspicuo quopiam fluviolo, alteram sumtuosæ Palatii constructiones muniebant: Reliqua duo latera pariete lateritio clausa erant, undique sepibus fruticum, visu jucundissimorum, obvestito, tali amœnitate uti hic locus ei

ob

ob oculos ponendæ minimè ſuffecerit. Huc ut intrarunt, Silvanum & Silvagiam offenderunt ab reliquis paſtoribus ſegregatos; quibus deſtinata erat peculiaris quędam prati particula, non longe ab veſtibulo Horti. Hîc Arethea, relictis illis, mandavit, præſtolarentur adventum Feliciæ, ſeſe in mãdatis habere cauſſata, reverti; & quid effeciſſet, dominæ renuntiare Silvanus & Silvagia qui iſtic commorabantur, Dianã illicò agnoverunt, multum mirantes eo illã loco conſpicari: Pariter Iſmeniam Silvagia quippe ambæ ejuſdem pagi incolæ: Ita maximo ſeſe gaudio exceperunt, amplexibus repetitis hilaritatem mutuam conteſtantes, poſt tantum temporis ſcilicet tam amœno loco convenientes. Silvagia igitur, vultu ad lætitiam compoſito, dixit: Benè veniat formoſiſſima Diana, cujus odium cauſſam dedit ut Silvanus mihi maritus obtigerit; benè etiam adſit ſpecioſa Iſmenia, quæ errore ſuo tantum dolorum mihi confecit, ut, remedia horum quærens, huc venerim, ubi eoſdem felici rerum mearum ſtatu commutavi. Quæ bona Fortuna vos huc junctim duxit? Ea, quam de tuo adſpectu capimus, Diana reſpondit, & quã

de manu Sapientis Feliciæ exſpectamus. O fortunata Nymfa, quam gaudeo ego felicitate ſucceſſuum tuorum! Deus tibi det plurimos annos proſperum hunc Vitæ ordinem continuare. Marcelio ad hæc verba parum commovebatur, non enim norat Silvanum & Silvagiam: Interea autem dum paſtores Nymfæque iſti mutuis confabulationibus vacant, viſum occupabatur, conſpicatus Equitem & Virginem, qui manibus complicatis jucundiſſimè in porticu horti ejuſdem deſpatiabãtur. Maximoperè delectabatur Virginis adſpectu, quam ipſi animus dictabat alibi à ſeſe viſam: Itaque ut dubitatione ſeſe evolveret, accedens Silvanum percontari cæpit; quamquam incivilitatis, inquit, pars fuerit, interturbare jucundam iſtam veſtram converſationem, velim tamen, optime paſtorum, ex te certior fieri, qui ſint juvenis iſte & puella, iſthîc deambulantes? Hi ſunt, reddidit Silvanus, Felix & Feliſmena, conjuges. Cum dicto, Feliſmenæ nomine audito, turbabatur Marcelio, adjiciens. Dic mihi porro cuius filia hæc eſt Feliſmena? unde patriâ? Siquidem forte & hæc tibi cognita ſunt: Nam de Felice

non

non magnoperè ſollicitus ſum. Sæpius, reſpondit Silvanus, ipſam recitantem audire memini, patriam ſibi eſſe Soldinam, civitatem provinciæ Vandaliæ, Patrem Andronium, matrem Deliam. Vos vero hanc gratiam mihi facite, & viciſſim docete me, qui vos ſitis, & quâ de cauſsâ tu hoc ex me percontatus fueris? Nomen meum, reddit Marcelio, & cætera de me poſt omnia ſciveris: Verum nunc, cum noris Felicem iſtum & Feliſmenam, ſodes hoc adde beneficio iſti in me tuo, & accede eos rogans dent mihi licentiam alloquendi ipſos; volo enim interrogare eos ſuper negotio quodam, unde magna vis boni reſultare poſſit. Non ingratum hoc mihi, reſpondit Silvanus; & continuò confert ſe ubi erant tum Felix & Feliſmena, & accedens eos, iſte, inquit, Eques, quem illîc videtis, orat compellandi veſtri ei poteſtatem faciatis, ſi quidem citra moleſtiam veſtram fieri poterit; eſſe enim ait res non minimi pretii, quas vobiſcum diſceptare cupiat. Ne minimum quidem moræ rogati fecerunt, quin properarent eò, ubi Marcelionem videbant. Conſuetis geſtuum civilitatibus expeditis, Marcelio, Feliſmenam adverſus, ita orſus

est. Speciosissima Domina, pastorem hunc rogavi modo, si de patriâ tuâ ipsi quicquam compertum foret, & de parentibus tuis, id me ut volens edoceret; recensuit ille non gravatus mihi, quod ex tuâ relatione didicerat, &, quoniā notus est mihi homo quidam ejusdem civis civitatis, qui (si memoria non labitur) Filius est indidem Equitis cujuspiam, cujus nomen idem est cum eo, quo Patrem tuum nominari indicavit; magnoperè te rogo doceas me, si quis tibi umquam germanus frater fuit, & quod hujusdem fuerit vocabulum, fieri enim potest, ut is sit ille ipse, quem ego novi. Adhæc magno edito gemitu Felismena; ah honorabilissime, Domine, ut mihi animam tuâ istâ rogatione, perculisti! Scias, certò germanum mihi quondam fratrem fuisse, adeò quidem germanum, ut gemini, ego & ille, uno fuerimus partu editi. Cum duodecim annorum ætatem haberet, amandatus is est à Patre nostro Andronio in Aulam Regis Lusitaniæ, ubi pluribus ex eo annis vixit. Hæc sunt omnia quæ de eo mihi cognita sunt, & quæ aliquando Silvano & Silvagiæ istis recensui, qui nunc pariter hîc

hîc etiam adſunt, ad fontem ſcilicet PLatanorum, poſtquam liberaſſem Nymphas ibidem aliquot, ſilveſtribus nonnullis Satiris occiſis, in prato Laurorum. Poſtinde nihil ejus rerum ad nos narratione pervenit, aut famâ, præter hoc ſolum, quod Tribunus Militum à Rege factus miſſus eſt ad latus Africæ: Ego vero, quæ tãto iam tempore omnia mundi loca evagor, infortunata mea infortunia ſequens, neſcire de cætero cogor vivus is ſit an mortuus. Marcelio tum, nullo modo detinere ſe amplius potis, exclamare: Hactenus quidem mortuus fui, gemina germana mea Feliſmena, quoniam coactus ſum carere conſpectu tuo, iam verò reviviſco, & victurum me deinceps ſpero, eidem reſtitutus; cum dicto ſtrictis amplexibus amabiliter ſororem complectitur. Feliſmena, de geſtu agnoſcens Germanum, nullo negotio animum ſuum perſuaſit, verè hunc eumdem eſſe, quem ipſa, inde ab extremâ pueritiâ, depictum animo ſuo, circumferebat, itaq; facile concluſit, alium ab eo non eſſe, quem teneret. Maxima ſanè exultatio inter germanos & cognatum ſecuta eſt, non minima erat etiam hilaritas, quam in-

de ſibi adſciverunt, Silvanus, & grex reliquorum Paſtorum & virginum, videntes inſignem hunc tantæ felicitatis ſucceſſum. Hîc amoris ſe verbis exceperunt, hîc lacrymas triſtitiæ priſtinæ, mutuâ ſibi operâ deterſerunt, hîc infinitæ interrogationes & reſponſiones ſubnatæ ſunt, recenſentibus mutuo ſibi reſtitutis, quanta infortunia, quibus locis, quanto tempore ſinguli exantlaſſent; nihil ad ſummæ undique lætitiæ perfectionem defuit. Inſumſerant iam his deliciis horam unam, & parum etiam collocuti ſibi videbantur, præ quam immenſa copia reſtabat diſceptandi, & materies oriebatur ſciſcitandi, atque reſpondendi, cum longiſſimum foret tempus, quo disjuncti, nihil de altero alter inaudiverant. Itaque, ut eo ſuavius, & maiori ſecuritate, vacarent pabulis lætitiæ ſuæ, conſeſſum iverunt in vicinum loco pratum, ſubter Salices proximas, quarum, intertexti ſibi mutuis amplexibus, rami, denſiuſculam fecerant umbram, & gratiorem; quoniam Solis iam in diem evehentis, creſcentem calorem eo inumbramine cavere poterant. Intereà dum Marcelio, Felix, Feliſmena, Silvanus, & puellarum cæterarum

rum chorus his erant ſermocinationibus occupati, in alterâ parte horti, quà proximus erat fons, ſuprà memoratus, erant ſimul, uti diximus, Eugerius, Polydorus, Alcida, & Clenarda. Alcida ad eum diem poſuerat habitum paſtoralem, uti præceptum ipſi erat à Feliciâ, induta ſplendidiſſimo ornatu, veſtibus, & cultu eô quem eadem ipſi ſubminiſtrarat. Porrò, cum ibidem pariter etiam adeſſent, Sirenus, Montanus, Arſileus, & Beliſa, cantantes, & exhilarantes animos ſuos, plurimum delectationis in iis audiendis capiebant Eugerius, cum liberis ſuis. Quæque omnium eos maximè afficiebat, erat cantilena, quam mutitabant inter ſeſe Sirenus & Arſileus, alter quidem in laudem, alter vero in vituperium Cupidinis: Quod vero hos accendebat ad electile quid canendum, criſtallina erat patera, quam largiturum ſpoponderat Eugerius illi, qui alterum cantando ſuperaſſet. Itaque Sirenus ad ſonum ſambucæ ſuæ, Arſileus autem ad Lyram ſuam, ita canere ſunt exorſi.

SIRENVS.

Qui iam tormentis ab Amore caretis, Ocelli:
Quo vobis mea lux ſueta diem eximere eſt,

Vah quæ lætitia hæc, quam mens sua gaudia sentit!
O cor ab igne vacans; hæc tibi commemoro.
Postquam vos renuit amplecti & Amare, Diana,
Vestri mî placuit regula consilii.
Scilicet in vanum non cernere, non animo angi,
Non torqueri ullô velle, in Amore, modô.

ARSILEVS.

Vos majore oculi nobis modo lumine macti,
Postquam solem istum vos datur inspicere.
Mille modis sensus hilares, Cor læticiæ hospes,
Cor domus egregiæ splendida Iustitiæ.
Si mea me non jam pro voto, Lesbia, amaret,
Centum, eam ut ipse, meo, caussæ aderãt animo!
Nunc Sors summa mihi est, & felix Gratia fati,
Cernere eam atq; adamare, usq; meum, ad, me, obitum.

Jam instituebat Sirenus respondere denuò Arsileo, cum inhibens eum Eugerius, Pastores, inquit, quoniam pręmium vos hujus certationis de meâ manu manet, non absentaneum rationi arbitrer, tali vos modô prosequi cantationes vestras, qualis mihi maximè videatur acceptus. Cantum igitur tu, Sirene, exordiare, & quidem totam seriem

riem uno protelo proponas, qualem Musæ favor tibi adspiraverit; Tu vero totidem mox versus, vel & plures, Arsilee, reposueris, siquidem ita commodum tibi videbitur. PLacuit idem Antagonistis; itaq; Sirenus hunc in modum incepit.

Ver novum mentes hilarat videntum,
Fragrat in flores spatium omne prati,
Vallis & saltus, silvæque fulgent
Vere renato.
Præda venanti locuples refertur,
Trux lupus mortem moritur cruentam.
Crescit in lucrum domini nitens grex,
Vbere cultu.
Rivus excellens liquido amne currit:
Tu quoque, ô adversa mihi, ô avara,
Verte, Fors, tamdem faciem impotentem in
Lumina læta.
Tuque qui mentes, Amor, inquietas
Decipis, ne viscera porrò nostra,
Vt soles, adflige; sine in meâ me
Simplicitate
Vivere; in prati spatiis quieti,
In solo silvestri, in amœnitate
Innocis vitæ, procul à tumultu,
Insidiisque.
Hoc agant te, ruricolæ, haud vetante,

Ne tuas vires, Amor, in minutis
Rusticæ gentis animisque, curisque,
Experiare.

Flamma, de vestris oriunda telis,
Aureas Aulas cremet, & Gradivi
Martios urat Proceres superbâ
Mente potenteis.

Nos in apricis nemorum theatris
Innocens oblivio pascat omniûm
Vna curarum; nec Amor malignus
Tangere norit

Quæ docent leges, Amor impie, istud,
Liberam ut mentem, tibi tu, catenis
Vincias duris, Animamque mitem
Compede crudâ?

O tuas dirè furias cruentas!
Non eras ergo validus, simul ni
Sævus, & crudelis? eras, Amor, Rex,
Absque tyranno?

O puer vanus simul atque cæcus,
Cur tuis illum Furiis fatigas,
Qui suam vitam tibi, qui sua uni
Viscera donat?

Fallitur fallitque nimis profanè,
Qui Deum te credidit; ignis es tu
Dirus, absque omni ratione vecors:
Perdita flamma.

Se

Sed magis vecors fuit ille, qui te
Filium dixit Veneris jocosæ,
Tanta quæ terris bona præstat, ingens
Numine blando.
Quod tuam ut demus genetricem eam esse,
Vltrò ego dicam, Furiam esse & illam,
Filium quæ te, genuisse, talem
Quiverit ex se.
Mitis agnorum fugit imminentis
Grex, lupi tristem ingluviem, Palumbes
Vulturis stridore fugit sub umbram,
Dira minante.
Pascua & saltus, Iovis imber alto
Cessat ut cælo, prece supplicanti
Indidem poscunt; cavet omni ope omnis
Nempe suum hostem.
Solus, ah solus, sine mente, Amator,
Viscera infelix tibi agenda præstat,
Igne, Amor, diro; Furia illa nescit
Occulere æstum!
Nec potest celari ea dira clades,
Nec potest verbis eadem explicari,
Mens timorem inter, & Amorem atro di-
visa tumultu.
Orba solat I numeris querela,
Se cremans semper, neque concremanda,

Occidens semper, neque vitam in ullo
Tempore linquens.

Morbus accrescens, dolor intus ardens,
PLanctus absentis, timor in propinquo,
Zelus infelix, Amor, hi favores
Sunt tui Honoris!

His truci Vitas furiâ fatigas;
Viscera, & menteis, miserorum, edendo
Perfidis flammis; sine fine Vitæ,
Perpete Letho.

Explicitâ cantione hac Sireni, Arsileus lyram suam tangere incepit, quam cum parũper, proritando velut calori, increpuisset, per partes responsurus singulis strophis concertatoris sui, ita canere instituit.

Mille iô menses Lepor iste duret,
Qui modò in pratis nova regna condit,
Sicca humus herbis, frutice, atque flore,
Floreat aucta.

Terra fecundo sterileis honore
Expleat brumas, habitans in altis
Diva silvarum latebris, canores
Mille resultet

Rusticorum, Echo; reviviscat ægræ
Conditus bustis hyemis Cupido,
Meque uti felix Decor, & Voluptas
Ambiat ingens,

Qui

Qui fatigatas recreat medullas
Vivat in nostris, Amor, ô, medullis:
Vos iô, pastorum inimica diris
Natio, curis:
Nemo se vernis opibus renato
Orbe delectet, sine Amore: qui se
Pectus in blandum penetret, Lepôrum
Nobilis auctor.
Cui datis cantus, numeri, placentes?
Verticem cinget cui pulcra serta?
Quis voluptatem trahet è sonantis
Murmure rivi?
Grata cui Veris facies? Amores
Mille ego nostræ recinam Belisæ,
Huic feram Flores, liquida ad fluenta
Adsideam olli.
Vtque sunt vestri Lepidi Lepores,
O Amor, ne desere me; Vetustas
Doctа te dixit Deum, ob alta vestri
Numinis acta.
Cor tuis ardet facibus rigentis,
Bardus excellit sapiente sensu,
Reddis ignavos, animoso Amoris
Numine, forteis.
Te, Dii, in vultus avium & ferarum
Efferunt ducti, tua gesta Victi

Efferunt Reges, Oculis puellarum,
Acri in Amore.

Hos tuæ Virtutis habes Poetas;
Ipse, erat, quando nebulâ in profundâ
Viverem exsensus velut, atque somno
Semisepultus.

Turpibus curis animum occupatus,
Dulce nec dum expertus Amare; nec dum
Gratiâ, & virtute celebris inter
Rustica Secla.

Nunc Coronatus iaculante fundâ,
Mille luctarum retuli ex Agone,
Victor, & cantu, nova serta; Amoris
Cuncta favore.

Ille me totum generoso Honore
Imbuit, nostras habitans medullas;
Quæ potest maior dare se voluptas,
Dulcior ignis,

Corda quam captiva Deo potenti
Sensibus submittere cum superbis?
Quamlibet simplex comitentur illum
Cura, dolorque,

Illam & hunc delent, ratione iustâ,
Mille, qui contrà, eximii Lepores,
Ingruunt, servántque, modis, Potentis
Orgia divi.

Vita si tristis aliquando amantum est,

Den

Dent Malæ culpam, sine Lege, Sorti;
Tempori adscribant, modo ne quis horum op-
pugnet Amorem.
Qui suo blandas facit igne Curas,
Mente componit Rationem in altâ.
Ecce Florenteis, vice siderum almæ
Lucis, Ocellos!
Ecce formosi bona Vota gestus!
Ecce laudandam sine fine dextram!
Hæc suos omni exonerat clienteis
Nube dolorum!
Gloriam & Vitam benè subminstrat!
Salve iô felix in amante Mentis,
Salve iö gaudens hilari Leporis,
Lætitia, auctu,
Si favens nostræ mî amor est Belisæ,
Non ego vestros aliquando nolim
Ferre fervores, mihi ne medullas
Linque Amor, umquam!

Neminem non eximiè afficiebant cantiones Pastorum, tantâ festivitate prolatæ: Eugerius autem cum in eo esset ut præmium ei addiceret, qui cantando alterum superasset, non poterat facilè expedire negotium. Sevocatô, itaq; Montanô, communicat consilium; diceret, uter videretur officio suo melius functus: Montano pari-

ter visum est, difficilem futuram electionem; ambos pariter benè, neutrum altero, cecinisse, melius. Conversus tum ad Arsileum & Sirenum Agonotheta: Incluti cantorum; inquit; visum est mihi discrimen inter vos nullum dari posse; cumque absque pari sitis, pares vos tamen dico inter vos esse, æquali omnino dexteritate & successu mactos; Quod si antiquus ille Palæmon nunc vi fati alicujus interveniret, Orco dimissus, non aliud à nostro hoc judicaret judicium; neque inter vestra decora quicquam discriminis reperiret. Tu, Sirene, dignus es paterâ hâc Chrystallinâ, neque non tu eamdem mereris, ô Arsilee. Quare injuriam alteri fecerit, qui alterum elegerit. Ego itaque pedibus veniens in sententiam Montani, tibi capiendam, Sirene, addico hanc Pateram, Chrystallo factam: Tibi autem, Arsilee, hanc præmium dono alteram, de lapide elaboratam Calcedonio, quæ illi pretio & opere, nequaquam cesserit. Ambos igitur vos muneror pateris eiusdem census, de supellectile quidem Feliciæ nostræ, quæ me iisdem munificè & ipsa munerata est. Optimè ambo contenti tam

pru-

prudenti iudicio, tamque liberali munificentiâ Eugerii pastores, iunctim ipsi ingentes egerunt gratias. Tum Alcida, in memoriam reducens anteacti temporis fortunas; si, inquit, error ille, qui tanto tempore me deceptam circumegit, nunc etiam in me superesset, nequaquam æquum mihi videretur, ut par Sireno præmium de hoc certamine reportaret Arsileus. Nunc vero, cum errore illo libera, captiva autem sum Amoris, in amore sponsi mei Marcelionis, propter tormenta, quæ mihi intulit absentia eius, assentior & palmam do illis, quæ canentem audivimus Sirenum; propter voluptatem vero quam de eiusdem coniugio spero, manum do cantioni Arsilei. Verum, ah improvide Sirene, vide, ne quas querelas de Dianâ nectis, eæ similes sint meis, quondam de Marcelione mihi ductis; sic enim magna te Pœnitudo aliquando tui istius ab Amore abhorrentis animi ceperit. Subridens ad hæc Sirenus; Quid maiore iure queri possim de puellâ, quæ ultro me amantem reliquit, ut infelici & ingrato se marito subjiceret? Respondit Alcida. Satis equidē infelix fuit ille ex quo me cōtui-

tus est: Et, ut ad rem veniamus, volo recensere nunc tibi, quod, interveniente Feliciâ, heri totum non poteram, exorsa sermonem de rebus Dianæ: Idque eo fine, ut oblivionem istam animo exigas, edoctus infortunium, quo infortunatus mei Amor infelicissimum Delium involuit. Jam tibi narravi ut concinens & colloquens Dianæ adfuerim, ad fontem Platanorum, utque eò venerit zelotypus ille Delius, & illicò post eum ærumnosus meus Marcelio; cujus agnito vultu tantoperè animo conturbata sum, ut, quam maximâ ope possem, per mediam silvam cursu me abriperem. Quid exinde mihi contigerit, nunc audi: Cum transcurso saltu, alteram ejus partem tenui, longè appellantem me nomine vocem audivi, Alcida, Alcida; exspecta, exspecta. Putabam eam Marcelionis esse, me persequentis, utque ne illîc deprenderer, multò etiam quam prius intentius fugere cæpi: Verum, ex iis quæ posteà evenerunt, docta sum, Delii eum clamorem fuisse, mariti illius Dianæ tuæ, qui pervicaci cursu vestigia mea sequebatur. Porro cum tantum currendi laborem amplius jam non sustinerem, coacta sum remittere

gra-

gradum, ut nullo negotio propior ille mihi venerit. Agnovi ergo hominem, & constiti, auditura quid me vellet, neque quaquâ ratione imaginari mihi valens caussam adventus ejus. Ille cum coram adstitisset, cursu tanti itineris membra fatigatus, animumque dolore & angore confectus, nec unum quidem verbum profari valuit. Ad ultimum tamen, turpibus & prorsus inhonestis sermonibus, pudicitiam meam sollitare cœpit; caussatus vehementiam Amoris in me sui, quo percitus, cursu me in hæc loca secutus esset, Orare & obsecrare, misererer neque perire se paterer, nescio quibus aliis rebus orationem extendens, quæ parum illud ejus cerebri manifestò proderent. Ego ridere hominem, &, quibus tantum asinum poteram, rationibus, consolari, ut eximerem fatuo capiti ejus tam immanem stultitiam. Verum omnia illi pro nihilo erant, quæ dicebantur, hoc solum efficiebant, ut de stulto amentem facerent. Crescebat enim fovendo furor. Optimâ tibi, ô pastor, fide, adjurare possum, totâ vitâ meâ non vidisse, hominem tam prorsus Amore perditum. Eo rerum statu, cùm ego prodirem iter meum uti in-

ſtitueram; ille vero me adſectari non deſineret, venimus ad pagum quemdam, uno lapide ab domeſtico ipſi diſtantem; illîc cum conſtantiam, in refutatione libidinis, meam videret, & ſpes eum voti potiundi plane omnis deſereret, ex merâ indignatione in morbum incidit: Hoſpitio illic acceptus eſt à paſtore quopiam, mihi ignoto, qui illicò matrem eius ſuper infirmitate hominis certiorem fecit, ut primum poſtera dies exorta eſt. Adfuit mater, cum ſummo dolore, quam maximâ feſtinatione poterat; invenit vero filium ſuum ardentiſſimâ febri iam penè deflagrantem: Multos illa planctus edidit, plurimùm illum cauſſam ſubiti huius infortunii rogavit; verum, obſtinato animo, nihil ille reſponſi aliud dedit, quam meros gemitus, mera ſuſpiria. Ad ultimum, amantiſſima mater, cum infinitis lacrymis ita eum alloquebatur: O fili mi, quod hoc infortunium eſt? quæ ſubita deſperatio? ne me cæles ſecretum tuum, vide & agnoſce me, matrem tuam, poteſt ut ego eorum quid ſciam. Cõjux tua hac nocte mihi narravit, te relictâ ipsâ ad fontem PLatanorum, curſu ſecutum eſſe peregrinã, neſcio quam,

quam, puellam; dic mihi, abinde ne origo venit malo tuo? ne molestum sit communicare mecum, quodcunq; est: Vide, quam planè difficilè curari ægritudo possit, cuius caussa prorsus in operto est. O misera Diana, tu heri ad fanum Feliciæ profecta es, ut resciseeres fortunas mariti tui, ille autem tam propè erat domicilium tuum! & quidem infirmior, quam quisquam possit credere! Cum audiret hæc verba matris suæ Delius, ne unicâ quidem voce responsum dedit, hoc solum; ingenti suspirio ducto duplicavit dolorem morbi sui; anteà enim amore solo torquebatur, tum verò etiam superveniens zelotypia, miseriam misero geminabat. Quippe sciens, te, Sirene, in eodem hoc loco degere, profectam autem horsum etiam Dianam suam, metuens ne malè sepulti inter te & illã, celebres quondam, Amores, reviviscerent, in tantam, alterato animo, insaniam prolapsus & morbi vis in penetralibus eius tantopere aucta est, & inflammata, ut, conflictans pariter duobus atrocissimis tormentis, Amori, & Invidiæ, in animi deliquio vehementi, vitam exspiraverit, cum maximo matris, agnatorũ, & amicorum omniũ, dolore.

Mihi quod tam inopinato caſu nonnihil dolentiæ fecit, fuit, quod opere nolens homini ſuccurrere, ad minimum miſero bonis verbis non adfuerim, ita enim in tam miſerabilem eventum fortè ſtultitia ejus non deſiviſſet. Sed, cum jam ſera eſſet remediorū conſideratio, ego huc iter meum proſecuta ſum, defunctum illum infelicem relinquens, amatorem meum, planctibus parentum & agnatorum, quorum nemo ullus cauſſam tāti infortunii noverat. Hęc tibi recenſere volui, mota re præſenti, ut agnoſcere poſſis, quantum damni facere valeat rigida amantis Oblivio, utque pariter ſcias Dianam jam tibi viduam eſſe, & expendas ſimul, utrum te deceat nunc perſeverare in propoſitâ iracundiâ, an mutare intentionem animi, jam mutato ſtatu amatæ tuæ. At magnoperè miror, quod Dianam hîc præſentem non videam, cum ex matre Delii certò intellexerim, eam huc viam inſtitiſſe. Summâ attentione orationem Alcidæ Sirenus imbibebat; cumque certus fieret de obitu Delii, cor ipſi miris modis alteratum eſt. Illic potentia ſapientiſſimæ Feliciæ magnum miraculum feciſſe dicenda eſt: quæ, quamlibet non eſſet præ-
ſens

ſens hæc narrantibus, virtute tamen valentium herbarum, & verborum, intervenientibus inſuper aliis etiam multis remediis, conficere potuit, ut Sirenus illo momento redordiretur Amare Dianam. Quod neque tamen impoſſibile creditu fuerit; quippe influxus ſuperni cæleſtium ſiderum, tantum ad puellæ ejus affectionem illum inclinatum ducebant, ut non videretur natus Sirenus, niſi ob Dianam, neque, Diana, aliâ de cauſsâ, quam propter Sirenum. Erat tum Sapientiſſima Felicia in ſplendidiſſimo ſuo Palatio, cincta coronâ caſtarum ſuarum Nympharum, potentiâ carminum divinorum, diſponens atque definiens ſingula, quæ ad ſalutem omnium iſtorum amantium pertinebant. Cumque videret, tam perſpicuâ illâ ſuâ omniſcientiâ, hactenus animis deceptos, Montanum & Alcidam, habere jam perſpectos errores ſuos, & ferum illum Sirenum obſtinationem jam ſuam erga Dianam bonam partem remiſiſſe, intellexit, jam tempus eſſe planè exſtinguendi omnes errores ſuorum hoſpitum, ut converteret eos in hilaritatem, & lætitiam, vix ulli jam longo tempore ſperabilem. Igitur pedem ſplendido

ſuo extulit domicilio, comitata Doride, Cynthiâ, Polydorâ, aliiſque plurimis Nimphis, & in hortum illum amœniſſimum proceſſit, ubi erat totus iam Chorus ſuprà memoratorum, Equitum, Paſtorum, & Fœminarum, congregatus. Quos primos illîc offendit fuere, Felix, Feliſmena, Silvanus, Silvagia, Diana, & Iſmenia, quæ ex alterâ viridarii parte ad Principalem portam, uti dictum eſt, conſederant. Cum primum venerabilem Antiſtitam accedentem vidiſſent, ſurrexerunt ſimul omnes, & manus eas oſculis excepere, in quibus fortunas atque ſpes ſuas omneis collocatas habebant. Admodum civiliter illas reſalutavit Antiſtita, indicium faciens, ſequerentur, quo ipſa eos ductura eſſet: Nulla mora parendi fuit: Felicia igitur, ſtipata toto Amatorum comitatu, tranſverſo horto peragrato, quod quidem ſpacium non mediocre erat, ad alteram partem venit, ubi fons erat; quem Eugerius, Polydorus, Alcida, Clenarda, Sirenus, Arſileus, Beliſa, & Montanus adſederant. Inſtiterunt extemplo omnes in pedes, honoris ergo venientis ſapientiſſimæ matronæ. Alcida, cõſpecto

›ecto Marcelione, Sirenus Dianā intuēs;
meniam Montanus, attoniti visu, pro so-
nnio rem tam insperatam & incredibilem
abebant; propriis suis oculis tam inopinā
licitatem non credenteis. Antistita, o-
nnibus considere iussis, vultu & gestu in-
icans sermonem se habituram de rebus
naximi ponderis, in medium totius Chori
armoreâ assidens sellâ, hunc in modum
ationē exorsa est. Honorabilis & specio-
ssima concio: Appulit iam volentibus cū
agnis Diis hora, quam tantoperè pro se
uilibet vestrûm desideravit, quæ singulis
›bis per manum meam datura est deside-
›rum omnium complementum; quo so-
fine, diversissimis viis, vos in sedes has
eas conduxi. Universos enim vos huc
inc congregavi, ut coniunctis vobis eò
ciliora proponerem remedia vitarum
strarum: Quâ de caussâ vos rogo, ut
voluntatem meam singuli vestris con-
datis, & verbis meis volentes obsequa-
ni. Tu, Alcida, exonerata es deceptri-
animi tui, suspicione, per relatio-
m germanæ sororis tuæ, Clenardæ.
›ram apud mentem meam, post agni-
m errorem tuum; magnoperè tibi

molestam esse absentiam Marcelionis tui
Confeci ita rem commodo tuo, ne absen
tia illa voto tuo longior procedere posset
quę quidem tam gnaviter deproperata est
ut jam foret in ædibus meis ipse Marcelio
cum tu mihi historiam suspicionis tuæ re
censeres. Jam illum eccum hîc præsenten
tibi, tam constantem in semel capto Amo
re tui, ut, siquidem ita visum futurum es
tibi patri, & Germanis tuis, coràm hîc quo
que præsentibus, nihil tam cupiat, quan
extemplo, tibi consponsum, jam effectu
dare, matrimonium. Qui quidem Marce
lio, cum tantarum rerum successu, tan
egregio matrimonio, tam illustri affinitat
gaudere maximè debeat; habet in eo ta
men quod addat incomparabili illi lætitia
suæ, quod Germanam suam unicam, Feli
smenam, post tot annorum spatium, in me
quoque domo salvam & incolumem of
fendit. Tu Montane, de illâ ipsâ Silveriâ
quæ fraudibus te horrrendis involuit, edo
ctus es seriem proditionis tuæ. PLoraba
ob perditam & amissam conjugem tuam
Ismeniam. Ea jam huc venit, ut vivat jun
cta tibi, ut consoletur te, & eximat mœro
rem animo tuo, postquam, per universam
omnem

mnem Hiſpaniam te, cum maximis peri-
ulis, & ſummis ſuis laboribus, quæſivit.
)eeſt hoc ſolum, ut tibi quoque ſuccur-
am, ô formoſarum decus, Diana. Verum
i rei primum volo indicare tibi hoc, quod
irenus & aliqui alii, hos inter paſtores, ex
:latione Alcidæ, jam norunt, quamlibet
:s ſit cujus recitatio poterit aliquo pacto
ncinare ægritudine cor tuum. Maritus
ıus Delius (formoſa puellarum,) ut inex-
rabilibus Parcarum ſanctionibus conclu-
ım eſt, clauſit in mortem dies ſuos. Opti-
ıè novi, habere te, cur illum lamenteris &
efleas, verum in finem omnis mortalitas
bligata eſt ſolvere hoc tributum; quod
go cunctis, tantâ rerum neceſſitate, cõ-
ıune eſt, non debet ſingulum aliquem e-
ormi dolore afficere. Ne plores, puella
ırmoſiſſima; viſcera mihi mea lancinant
crymæ iſtæ tuæ, tam miſerabiles. Deter-
e nunc ocellos tuos, & lacrymas deſicca,
onſolationem admitte mœrori tuo. Ne
ıduas te luctuoſis veſtimentis, ne excedas
ıodum planctibus, neque dolorum vehe-
ıentiam penitiori animo admittas. Quip-
e in domo hâc meâ nõ eſt tolerabilis ma-
or æquo, aut nimius ſui, planctus; Et, quod

magis est, fata tibi de longè meliore fortunâ prospexerunt, quam cujus amisisse tibi Genium hoc luctu videris. Ad hæc, cum quæ facta sunt infecta fieri nullo modo valeant, neque his ulla possint remedia ve Prudentiæ vel Sapientiæ, adhiberi, quid superest quam ut animo tuo imperes oblivisci omnium, quæ transierunt? Meæ auten erit Potentiæ, ordinare & disponere præsentia. Hîc eccum tibi amatorem veteren tuum, Sirenum, Cujus cor, per potestaten scientiæ meæ, & rationis ipsius suasu, qua ad hoc ipsum obligatum tenet, tam mit nunc est, & mutatum, de rigore illo edurc & diuturno, in tam blandam temperien affectionis in te pristinæ, ut in ipso mor prorsus nulla sit, quin in exoptatissimũ, & olim, & nunc, utriq; , matrimonium conti nuò conveniatis. Hoc, quod te rogo, est, ci trà pervicaciam, obsecũdes voluntati meę in re, quæ tantoperè tę deceat; quamlibe enim intervenire videatur debitus marit recens defuncto, planctus, ne tam cito nu ptiis alterius viri assentiri velis; nemo ta men poterit malè de hac tuâ obedientiâ decreto meo præstitâ, loqui, ubi scierit me auctoritate confectum & properatum, a han

hanc faciem, hoc esse coniugium. Et tu, Sirene, quoniam incepisti apud animum tuum locum reddere laudabili & honesto Amori; perfice quod orsus es, & totam mentem eidem affectui largire; ut habeat jam effectum suum fortunatissimum hoc & optatissimum matrimonium, cui omnis cælestium siderum, chorus singulari quâdam favet Clementiâ. Porrò, omnes etiam vos cæteri, qui in ámœnissimo hoc horto meo locum, & spatiũ, & copiã, habetis explendorum desideriorũ vestrorum, Excitate in veram lætitiam animos vestros; ordimini ludos exoptabiles, tãgite fides vestrorum Musicorum concentuum, exsultate amabilibus cantilenis, colloquiis suavissimis mentes vestras mulcemini, in honorem & memoriam, felicium horum & fortunatorum matrimoniorum. Finito sermone Sapientis Antistitæ, omnium animi in novã hilaritatem exsultare cæperũt, omnibus grata erant mandata Feliciæ, omnibus voluntas illius acceptissima, omnibus admirationi divina matronæ Sapientia. Montanus, manu prehendens Ismeniam suam, narravit ipsi, & ex ea vicissim audiit, putare sese jam adeptos te-

nere summam omnium votorum suorum. Inter Marcelionem autem & Alcidam, Sirenum & Dianam, nuptiæ conclusæ, &, omnibus festivis solemnitatibus adhibitis, nullo penitus ritu, aut ordine non servato, confectæ sunt. Cæteri, hilares tantarum rerum tam fortunatis eventibus, magnâ carminum dexteritate testari gaudia sua cæperunt. Inter quos Arsileus, ex singulari affectu, quo eũ prosequebatur, & pro mutuo amore inter eos duos jam antiquo, ad sonum Lyræ suæ, pro Memoriâ novi matrimonii, Sireno suo hoc carmen occinere voluit Epithalamium.

Prata renata vigēt modo versicoloribus herbis,
Responsatq; cavis jucunda è saltibus Echo.
Jam Rosa blandum olet, jam dulcia murmura
venti
Inspirant ramis, urgetq; argenteus undas
Rivus; iö, dudum mœstæ, date jubila genteis.
Tristia lætifico mutantes tempora cantu.
Formosæ festis Nymfæ exsultate Camœnis!
Nubila, clara dies, toto fugat axe; dolorum
Nubibus exutis mens splendida cernit Olympum.
Lusciniæ intendunt dulcis certamina vocis,
Suavia fons auget ridentis murmura aquaï.
Postquam adeo vetereis odiorum delet acores

Purus

Purus Amor, tædæque novæ nova gaudia portant:
Formosæ festis Nymphæ exsultate Camœnis!
Proposito mentem quis nobis vertet ab alto?
Vt sua cæpta animus stabili de limite turbet?
Quis faciet contemta prius nos quærere vota?
Quis misero immittet felicia gaudia cordi?
Viscera nostra movens? facit hoc Felicia, Manto
Quod nequiit Thebana, potēs Rationis & artiûm!
Formosæ festis Nymphæ exsultate Camœnis!
Felices nupti, vos ipsa Potentia cæli
Adspirat meliore aurâ, camposq; maritat!
Vestri nempe greges distendunt ubere caulas,
Duplicibusq; graveis mactant proventibus agros.
Non vos tristis hiems, non umquā tangat Egestas
Innumerabilibus vos copia mactet acervis.
Formosæ festis Nymphæ exsultate Camœnis!
Gaudia non ullo turbentur vestra tumultu,
Pulcra patres videat soboles in Nestoris annos;
Numquam non pleno stipet vos copia cornu.
Ipsi vos campi vos ipsa arbusta resultent,
Saxa sonent cantu. petræ, atq; feræ, Orgia servent.
Omnia tam lætis redeant miracula tædis.
Formosæ festis Nymfæ exsultate Camœnis!
Dulciloquæ volucres recinunt sibi carmina vestra,
Blandificis mites adspirant flatibus Auræ.
Intuitu vestro, campi, saltusq; virescunt,

Et vestris ultro manibus nova germina portant.
Lilia, florenteisq; Rosæ, Narcissus amator
Atque Hiacynthus adest, & mille vocabula florum.
Formosæ festis, Nymphæ, exsultate Camœnis!
Vbere vos multos pax annos Numine pascat,
Suspicione procul, constantes mutuo Amore,
Lætitia in summâ, tranquillâ mente fruentes,
Ipsa ignoretis Fortunæ immania facta.
Fama canat vestras ultra maria omnia laudes.
At mea rauca premat stridenteis tibia versus.
Formosæ festis Nymphæ desistite Musis.

Cum finem Cantioni suæ dedisset Arsileus, generalis omnium animos de novo Lætitia invasit, quæ quidem quælibet etiã tristissimorum hominum pectora in hilaritatem excitasset: Personabat gaudiorum Camœnis totus Horti campus: Temperata Harmonia certantium, mirâ æquabilitate Musicorum instrumentorum, dulcissimo concentu aerem mulcebat, jamque videbantur floridæ arbores, dulce submurmurans Rivus, uberi aquarum amœnitate gratiosus fontis accentus, avicularum, undiq; spatia ætheris cantu complentium, Musica Voluptas, congaudere nuptialibus amantium festivitatibus. Cumq; jam bonum oppidò

pidò temporis ſpatium his lætitiæ negotiis fuiſſet inſumtum, & Feliciæ hora prandii appropinquare videretur, ejus imperio Epulæ ad ipſum fontis marginem exſtructæ ſunt. Illico, ut juſſæ erant Nymphæ, quæ neceſſaria erant convivio, luculenter expediverant; jam ſtabant ordine poſitæ Menſæ, jam triclinium juſtum compoſitum videbatur, quà denſior arborum convenarum lucus, calorem nimium mediæ diei, ſpiſſis ramorum umbris ſuperductis, exemerat: Conſederunt ita omnes, ordine à Felicia præſcripto, & convivium cæptum eſt nuptiale; pretioſiſſimis vaſis delicatiſſimas dapes copiosè miniſtrantibus. Finito, cum ſummâ Voluptate, prandio, repetita ſunt; non ita dudum intermiſſa, gaudia; inſtauratæ feſtivitates, Ludi reducti, ut ſequentis vobis libelli ſeries demonſtrabit.

FINIS LIBRI QUARTI.





C. BARTHI NEMORALIUM

LIBER QUINTUS.

ADeò læto animo, ſuper recens ipſis obortâ felicitate, erant amantes iſti, cum quilibet id, quod ſummis votis tãto tempore fruſtrà exoptaverat, jã in cõplexibus & poteſtate ſuâ conſpiceret, ut omnium præteritarum ærumnarum facilè omnes,& pro ſe ſinguli, memoriam ponerent. Nos vero,qui iſtîc,extrà utriuſque fortunæ aleam,& ex tutô locô conſiderare & tormenta & præmia eorum, ſine metu noſtri periculi, poſſumus, cum expendimus, quanti unicuique horum conſtiterit ea felicitas, in quâ modo collocatos, deſcripſimus, pericula nimirum immania, animorum in facta & dicta efferationes, horrendis doloribus oriundas,quæque alia

adverſi

adversi Amoris Tempestas fert, exhausta omnia & exantlata hiisdem, antequam optatum finem desideriorum suorum contingerent, opus erit; ut nosmet ipsos doceamus, nequaquam consultum esse, exponere se tot, tamque atrocibus, rerum fluctibus, quamlibet etiam certior nobis spes tenendi aliquando Portus affulserit: Quæ ipsa etiam nullo jam tempore non est incertissima, cum quotidiè videamus, vix unum aliquem potiri successu desideriorum suorum, ubi infiniti contrà alii, vi ventorum in naufragia irreparabilia auferantur, & post ærumnosam vitam, miserabili interitu testentur, nequaquam sapienter facere, qui se pelago Amoris infido crediderint. Quod uti verum est, ita indicasse modo sufficiat, Instat enim nobis prosequenda historiæ nostræ descriptio: Revertamur igitur, cum bono Deo, ad inspectionem ulteriorem Gaudiorum nuptialium, quæ in horto Feliciæ, post infinitas ærumnas, potitis sese invicem amantibus, celebrabantur; quālibet impossibile ferè fuerit per partes ea exsequi. Felicia, cujus imperio meritò

volentes omnes parebant, cujus officii erat ordinare omnia, & modimperare universo Choro, primo loco mandavit, uti Choream instituerent à prandio pastores, ad sonum cantionum, quas ipsimet invicem occentaturi, & instrumentis suis Musicis admodulaturi essent. Itaque ipsa quidem cum Eugerio, Marcelione, Polydoro, Clenardâ, Alcidâ, Felice, & Felismenâ, sessum se contulit, declaratâ prius voluntate suâ, iis qui saltationem ducturi essent. Processerunt ergo in medium universi pastores, Sirenus Dianam suam manu ducens, Silvanus Silvagiam, Montanus Ismeniam, Arsileus Belisam; & ita amabili membrorum temperie Choream omnium mollissimam instituerunt; non aliâ aut minore gratiâ, quam Dryades olim & Napææ solent, prodeuntes de nemoribus suis in spatium prati alicujus herbidi, quarum, amatorius ventulus, auro purissimo Arabico netas induvias, molli sustinet adflatu, ut per rubicundas vestimentorum telas, marmore omni nitidior membrorum colos videntium oculos admirabili spectaculo divinæ venustatis externet: Non illi gesticulationibus multis, aut verborum quæsitis blan-

blandimentis, quæ civilitas hodiè urbana cenſetur, tempus eximebant, neque diſputatione longâ diſceptabant, cui primus canendi locus deberetur, ſed Sirenus, ad quem quodammodo jure ſpectare Principium hujus hilaritatis videbatur, quique impeditus hactenus tot hominum lætitiâ fuerat, quo minus præteritæ ſuæ dolentiæ ſeriem Dianæ quodammodo exprobraret, cujus memoria animo ejus nondum prorſus exemta erat, ſeque excuſaret, ab omnibus, quæ ſuſpicio amatoria ipſi imputare poſſet; cantione quapiam rem Dianæ proponere commentus eſt omnia, quæ pudore alioquin recenſere prohiberetur. Itaque, non exſpectato ulteriore ambitu, reliquis in eadem verba reſpondentibus, hanc exorſus eſt cantilenam canere.

Debebam ſine conſpectâ mori ego te, pulcrà Diana;
Qui potui unam horam vivere, amans. ſine te.
Blandus Amor ſubeat, cunctô mærore relicto:
Mærore infauſto, fauſtus Amor ſubeat.
Si reminiſci inhians ut te, mea maxima vita
Diligam, atrox toto pectore pellam Odium.
Ah metuo ne te amittam, moriens, mea Vita,
Qui potui unam horam vivere, Amans ſine te.

Dubio hanc cantionem animo Diana ex-

cepit, neque concludere facile erat, quid opinionis concipiendum foret. Quare ut antiquum illud, deſerentis ipſam Sireni, Odium, prorſus novo iſto ſuccedente ardentiſſimo Amore, erat deletum & profligatum, & ipſius optimè animo propterea ſatisfactum, ipſaque ſe videbat ſatis recreatam ab omnibus ærumnis hactenus exantlatis, ita cauſſam non inveniebat, cur lamentaretur. Super ſeceſſu ejus & oblivione iam deſitâ, itaque cor ſuum ſentiens omni jam prorſus tormento liberum, gaudiis undique novis circumfuſum, ut doceret verbis lætitiam ſuam, & ſollicitum Sireni animum reprehenderet, reſpondit ipſi hoc carmine.

Mens hilaris, ſuo Amore potita, in gaudia fervit,
Omnis abeſt dolor, & Lætitia omnis adeſt.
Non memini veterum, jam tota oblita, dolorum.
Non etenim hoc fauſti regula Amoris habet,
Vt veteres ſubeant in læta recentia fata
Triſtitiæ; ô felix Gaude, in Amore, Anima.
Hæc bona ſunt tibi quæ ſpes ſpondet tempore tāto,
Omnis abeſt dolor, & Lætitia omnis adeſt.

Dum carmen hoc decinit Diana, appulit ad fontem, ubi congregatus erat Cho-

Chorus iste, puella pastoralis, speciosa ad miraculum, quæ eadem horâ domum Feliciæ advenerat, cumque didicisset Antistitam in horto esse, illuc se contulerat, ut videret & alloqueretur eam. Cum itaque ad præsentem accessisset, genibus ante eam procubuit, manum osculandam petens; post ita locuta est. Incivilem audaciam meam, ô Domina, quod, ignota & invocata, tam repens huc intrarim, excusare aliquâ, puto, ex parte poterit desiderium, quod diu ingens habui videndi & salutandi te primum, deinde & maxima necessitas mea, quæ me ad aram patrocinii tui confugere, & opem à Sapientiâ tuâ celebratissimâ petere coegit. Exest Cor meum grandissima ærumna, cujus remedium in solius tuâ manu situm est: eam uti tibi ordine recenseam, & medicandam proponam, aliud tempus, Domina, exspectare satius videtur, hoc enim loco, & hac die tristitiæ aliquam historiam tractare magnum piaculum meritò habeatur. Erat etiamnum Melisæa (quod vocabulum habebat Pastoralis virgũcula) genibus ante Feliciã acclinis, cũ visus est per porticum quampiã hortum intrare pastor

alius, & summo studio properare ad Fon
tem; quem puella conspicata: Ista, inqui
est ærumna illa, tam gravis mihi & odiosa
quâ ut liberer, ad genua tua confugi, ô Do
mina. Cum dicto pastor ille, (Narcissus no
mine) adfuit & ipse loco, ubi Chorus ist
animum oblectabat: factis itaq; sollemni
bus civilitati ceremoniis, incipit de virgin
Melisæa, multa atrocia Feliciæ conquer
in præsentiâ ejusdem, ut nimirum ab e
miseris torqueretur modis, tantâ equiden
crudelitate ut nec unicum quidem ver
bum ex ore ejus impetrare, in benignan
aliquam responsionem, posset. Eâ quiden
solâ de caussâ itinere longinquo, de remo
tis locis istuc se venisse, persequentem il
lam, nec ulla tamen ratione cor ferum, &
animum ejus barbarum, ad colloquium in-
flectere valere. Jussit surgere Melisæam Fe
licia, & verbo inhibens odiosas tempori &
loco contentiones: Non est nunc, ait, spa-
tium audiendi nobis longas vestrarum re
rum historias; tu pro re præsenti, cape ma-
num Narcissi, Melisæa, & Choream istan
junctim ambo intrate, quod superest suc
tempore à nobis dispicietur, &, uti copia
erit, remediabitur. Non potuit contradice
re man-

mandato Antiſtitæ, puella, itaque ſecu-
manu ducentem Narciſſum, Choream,
:i juſſum erat, intravit, ſaltatura, ut reli-
ıas videret. Tum fortunata nunc, ex nu-
:r infelice, Iſmenia, ad quam ordo cantio-
s venerat, geſtu & vultu præferens inter-
ım animi lætitiam, quam poſt tot adver-
ates vix capiebat ipſamet, ita incinuit.

ım mî animum, felix hæc Gloria, Lætitiâ auget,
Vt mirer nullo, mille mala, in numero;
uæ me, exantlantem, duxerunt hæc bona tanta
Poſſeſſum, ô nova Lux, ô nova Proſperitas.
e morabatur, ego eum exſpectabam, in Amore;
Nunc cum illo ex voto eſt noſtra potita Anima;
etitia alma moram compenſat mille Leporum,
Si ponenda mihi nunc Ratio ad numerum eſt,
ili equidem facio tot millia magna dolorum,
Quæ mî iſtam ingentem Lætitiam extuderũt.

menia, & hæc canens, & alioquin quod-
ınque aliud agens, numquam oculos
'ertebat à deſideratiſſimo ſuo marito
[ontano; Ille verò, utpote nonnihil effe-
tus animum memoriâ inſidiarum, quæ
nto eum tempore, cum ſummâ moleſtiâ
ɔnjugis ſuæ, exagitaverant, non audebat
lam contrà tueri, niſi furtim, & velut ra-
:o, cum videlicet Choreæ ordo poſceret

ut obverteret illa vultum, & ita inſpici poſſet, ut non ſentiret ipſa quærentem: Et auſus quidem erat aliquoties eam rectà contueri, ſed confuſus pudore, quem ergà eam habebat, & victus ſplendore radiorum ex oculis amaſiæ promicantium, qui cum penitiſſimâ affectione Amoris candidiſſimi, obtutum ipſius refutare videbantur, non potuerat perſiſtere, ſed humi fixis luminibus cedere luci majori coactus fuerat. Quod cum diutius ferre, miſer, amore conjugis ardens, non valeret, & ne tantum temporis à deliciis ejus perderet, mittere decrevit ad eam cantionem aliquam ſuam, indicem puriſſimi ignis, & ut in illâ omnes ſpes ſuas poneret. Sic itaq; cecinit.

Verte tuos aliò, virgo ô pulcerrima, ocellos.
Sin, metuo in mortem, ne te ego conſpiciam.
Namque tui gemini, claro me lumine, Soles,
Quamquã in te vivã, dũ inſpiciũt, perimunt.
Ars oculorum hæc eſt, ſi me his, pulcerrima, cernis
Ah metuo in mortem ne te ego conſpiciam.
Vt ſcopus ad telum, nix Solem, Nubis ad Auſtrũ,
Cera ignem, mea ſic in ſe anima illiquitur
Cum tua Lux contrà eſt, oculis ſi me adſpicis iſtis:
Ah metuo, in mortem ne te ego conſpiciam!

Cernit

ernite Amor quid agat, quid fors diſponat in illo:
Ex mercede meâ me nova Pœna premit!
ita mi in his oculis poſita eſt: ſi me adſpicis illis,
Quam metuo in mortem ne te ego conſpiciam!

Meliſæa, quæ ſatis, contrà voluntatẽ animi
ui, hactenus cũ Narciſſo Choreã duxerat,
dignatione percita, voluit vindicare mo-
ſtiã ſuã, amarâ aliquâ cantiunculâ, itaq;,
d argumentũ alludens pœnarum & mor-
um, in quibus vivere ſe ſemper paſtor ille
ſius cauſsâ conteſtabatur, ut homini æ-
rè faceret, & inſultaret, ſic cecinit.

Dolor, inficete Paſtor, in caput tuum,
De quo loquare, recidat.
Ego Amore nolo quempiam occidi meo,
Vt ipſa propter eum mori.
Sic ergo vivam, te nec adſpiciens, neque
Amore tu noſtro oppetas.
Ego nolo ames me, nec te amare ego volo,
Nec intuerier quidem.
Vti tu fateris, perimi Amore te mei,
Sic iſta ſit finis, volo.
Ego Amore nolo quempiam occidi meo,
Vt ipſa propter eum mori.

Non mediocri tormento adfligebatur mi-
er Narciſſus, crudelem cantionem iſtam
matæ tantopere à ſe puellæ audiens; ta-

men animum ſuum confortans, ſpe boni, à Feliciâ non planè negati, & Conſtantiâ & Virtute, amantium affectus comitari conſuetis, ſeſe obmuniens, reſpondit in hæc carmina, veteri cantioni novos jungens, verſiculos.

Si vos amari non juvat; tamen meum eſt
Amore non deſiſtere.
Moleſtia illa te, dum ego vivam modo,
Numquam, cruenta, deſeret.
Patiare quæſo, cum mali tantum feram,
Queri dolores efferos.
Dum ſe voluptas compleat tamdem tua,
Vt ego occidam flammis meis.
Quod ferre ſi non ſuſtines planctus meos,
Infamis ut hoc nomine es.
Moleſtia iſta te, dum ego vivam modò,
Numquam, cruenta, deſeret.
Si, noſſe ceu te, fugere ſic liceat, velim
Deſinere queſtus flebiles.
At, dum te amabo, deſinam numquam queri,
Sic iſta perpes cantio eſt.
Moleſtia iſta te, dum ego vivam modo,
Numquam, cruenta, deſeret.

Tam obſtinata erat in crudelitatem ſuam Meliſæa, ut vix finem paſſa ſit dare carmini ſuo Narciſſum, quin, ultima ejus verba involans,

volans, ne quis alius intercinere quid aliud posset, in hæc vicissim carmina erupit.

Insane amandi pastor, hoc malum mihi
Consilium inire diceris.
Quod tibi malum in molestiâ crees meâ,
Amans abhorrentem tui.
Servare tibi Cor hoc tuum decens erat,
Tam triste, tam vilis pretii.
Postquam illa renuit capere, cui te dictitas
Dono dedisse perditum.
Quæ te odit illam ne sequare, si sapis
Aliter, malum sequeris tuum.

Non passus est Narcissus transire sine responsione Melissæ cātilenam, itaque civilitate maximâ, & gratiâ singulari vultum gestusque componens, ita reddidit suam ipsi injuriam; veteri cantioni novos denuo applicans versiculos.

Postquam ira vestra sæva, mi voluit malè,
Numquam mihi volui benè,
Ne bene quid illi velle dicerer, cui
Mea vita tu, velles male,
Potius mihi esse pessimè velim, quam uti
Sit bene, cui tu vis malè.
Sepultus odio, morior, oblitus mei,
Et omnibus meis, tuo.

Contentus ipse, te quoque iratâ mihi,
Semper fui fato meo.
Quamquam dolore nuspiam carui malo.
Ex quo me, amara, conficis.

Tantæ delectationi omnibus erat disceptatio Melisææ & Narcissi, ut universa diei nuptialis lætitia, multum hoc etiam nomine augeretur: neminem tamen etiam non malè habebat ejusdem puellæ crudelitas, & miseri pastoris non mediocris exinde dolor, cui compatiebantur pro se quisque. Postquam canendi finem fecisset Narcissus, omnium oculi in Melisæam conversi sunt, exspectantes iteratam ejus responsionem: Tacebat autem illa, non quod deessent ipsi, crudelis ejus generis, aliæ insuper cantilenæ, quibus concipilare pectus misero amatori potuisset, sed quod nollet quoquo modo molesta esse tantæ hilaritatis collegio. Silvagia quoq; & Belisa oratę sunt uti & ipsæ cantitarent, excusationem autem eam prætulerunt, non esse sese aptas tum ad id negotium. Bonum vero factum sit, Diana respondit exire vos convivio sine solutâ symbolâ! Hoc quidem ipsis, ait Felismena, nequaquam nos assentiemur, quoniam non parum nostra interest au-

dire

dire voces tam delicatas. Nolumus, inquiunt illæ, intermittere ſervitiis noſtris vobis adeſſe, hac feſtivitate nuptiali, ſecundum valentiam noſtram; erit itaque paullum beneficium, excuſatas nos habere, ne ad canendum adigamur, conſideratione cæterorum officiorum, quæ vobis præſtare in aliis expeditionibus non detrectabimus. Tum Diana; Ex meâ parte, nequaquam ego vobis remiſſura ſum canendi officium, niſi qui interceſſerint, qui veſtro nomine id expediant, quod jure ſuo & ordine poſcit collegium noſtrum. Quis melius hoc poterit, illę reſpondent, quam Silvanus & Arſileus, conjuges noſtri? Optimè ſentiunt puellæ iſtæ, inquit Marcelio; &, meo arbitratu, conveniens fuerit ambos eos unam canere cantilenam; alterum ordiendo, alterum verſibus reſpõdendo; ita enim labos quidẽ ipſis decreverit, nobis autem ſeſe auxerit delectatio. Omnes indicarunt magnoperè gratum futurum hoc genus ſuccentionis, quippe quo melius quã ullo alio, ſeſe exſerat vivacitas & acumen ingeniorum, interrogando videlicet, & reſpõdendo ex tempore. Itaque Silvanus & Arſileus confeſſi

ſeſe ratum habere hoc iudicium, in habitum ſe canentium componentes, Choream ſimul inſtaurantes, ita exorſi ſunt.

SILVANVS.

Paſtor tacere durum, eſt!
Cane lætum, iö, quid ex re.

ARSILEVS.

Breve gaudium meum ſit
Si poßim id eloqui iſthîc.

SILVANVS.

Sit Maximum, inde partem
Poteris brevem explicare.

ARSILEVS.

Tam celſa facta dictu
Ordirier timori eſt!

SILVANVS.

Iam finis ipſe nobis,
Notus tuorum Amorum eſt.

ARSILEVS.

Queî finis? abnuant ſe
Cum prima vota dici?

SILVANVS.

Tamen minus decoro eſt
Tacere tanta velle.

ARSILEVS.

Mens paſſa ſola, ſola
Quoque ſentiat medelam!

SIL-

SILVANVS.

Communicata nulli
Eviluere Vota!

ARSILEVS.

Aequalia illa nostris
Vbi sint, negent reponi.

SILVANVS.

Tam magna corde vestro
Queî gaudia attinentur.

ARSILEVS.

Capit illa, quod malorum
Tulit illa tanta monstra.

SILVANVS.

Tamen impotens latere est
Felicitas beata.

ARSILEVS.

Quo major est, minus se
Gaudebit explicari.

SILVANVS.

Iam dum tua esse per te
Scio publicata Vota.

ARSILEVS.

Me dictito beatum;
Sed queî, tacere præstat.

SILVANVS.

Cupit ipsa, seque prodit
Fortuna, quando summa est!

ARSILEVS.

Potius mihi illa parva est,
Quam carmina assequuntur.

Amplius hoc genus carminum dicturi erant pastores, cum, ex dispositione Feliciæ, ad fontem venit Chorus Nympharum, quarum quælibet, Instrumentum Musicum pulsans, mirificâ dulcedine gratiosum valdè tumultum ciebant. Chelyn ista tangebat, nablium altera; alia tibiam suavissimâ temperatione vocis inflabat, erat quæ delicato calamo fides molliter resonantis citaræ verberaret, alia quæ lyræ chordulas in amabilem accentum setarum ductibus stringeret, nonnulla cymbalis aerem; nonnulla & fistulis diversa in eamdem Harmoniam sonantibus, commulcebant. Universæ autem Musicæ sonus tam blandâ & optabili suavitate contemperatus erat, ut externaret rei cœlestis stupor quidam omnes audientium animos. Vestitæ erant Nymphæ istæ ad miraculum splendidè, quælibet suo proprio colore, omnes auro micantiores capillorum fluctus ventis differendos laxaverant; capitibus gerentes corollas & sertas, Rosis, atque floribus speciosissimis, au-

reis

reis argenteiſque lemniſcis, conſertas. Paſtores, tantæ formoſitatis Chorum ad ſe tendere videntes, omiſerunt Choreas ſuas, & ſuo ſe quiſque loco ſeſſum abſtulerunt, ſummâ attentione animorum, in harmoniam admirabilem, tam variorum, & tamen in idem conſentium, inſtrumentorum: Quæ, accedente delectabili vocis virgineæ admodulatione, novis & hactenus inexpertis gaudiis percellebant mentes auſcultantium. Et in eo jam erant, cum ex improviſo tranſverſo itinere adfuerunt aliæ ſex Nymphæ virgines, veſtitæ bombyce ruberrimo, aureis argenteiſque undique telis ſcutulato, capillos in orbem capitibus circumplexos, reticuliſque minutis, de filamentis auri Arabici, coactos in tutulos, ferentes, fibulis ſuffixos Smaragdinis atque Hyacinthinis; frontibus earumdem maximi pretii faberrimè elaborati Adamentes reſplendebant. Crura cothurnis coloreis, ſubtiliſſimè auro inductis, emunierant; manibus ſingulæ arcum, humeris, cum ſagittis, pharetram, geſtabant. Hoc habitu choream ducere inſtiterunt, ad ſonum Muſicæ quã modo diximus, Harmoniæ; tam luculento ordine,

& agilitate tam dextrâ ut attonitos omnia facerent ſpectatores. His ita occupatis exſilit repente de proximo vepreto Cervus candidus, nigris maculis undique variegatus; quæ, certis ſpatiis candori interlocatæ, ſpeciem animantis reddebant pulcerrimam. Cornua ei de auro puro videbantur, altiſſima, & plurimis ramis diſpreta. Ad ſummam, talis hic erat, qualem omni ſuâ arte fingere potuerat Felicia, ut voluptabile ſpectaculum convivis ſuis præberet. At viſo Nymphæ illæ cervo, eum in medium Chorum ſuum recepere, Choreaſque ad ſonum Muſicalium inſtrumentorum nullatenus omittentes, maximâ feſtinatione ceperunt illum ſagittis petere; qui, obſervato Muſicæ ſono, in orbem corpus ad cavenda tela, ex arcubus emiſſa, dexterrimè circumagebat, ſaltibus, & ſubſultibus ſuavitatem ſpectaculi commendans. Quo ludo bono tempore deluſo, celerrimâ fugâ fera per patentem proximè porticum ſe abripuit; eam Nymfæ clamore, curſu, & ſagittis proſecutæ ſimul horto cum delectabili tumultu eruperunt, quem pro ſe quiſque acclamatione paſtorum & puellarum augebat; mirificè omnes tam

eximio

eximio ſpectaculo exhilarati. Eodem momento finem etiam canendi Nymfæ fecere. Sapiens autem Felicia ne huic etiam ludo deeſſet utilis vitæ inſtruendæ, aliqua ſententia, periculum factura, an quiſpiam præſentium intelligere potuiſſet, quid ſibi voluerit ſcena hujus miraculi, ita Dianam allocuta eſt. Formoſa puellarum, poteriſne ediſſerere mihi quid ſignificaverit hæc tã pulcri iſtius cervi noſtri venatio? Ego quidem tantam in me Sapientiam non invenio, reſpondit illa, ut poſſim adſequi ſubtilitates ſpeculationum tuarum, aut ænigmata inventionum exponere. Itaque tibi, ait Felicia, rem enarrare volo, quid ſub iſto ſpectaculo latere prudentiæ voluerim. Cervus eſt imago Cordis humani, formoſi in delicatis ſuis cogitationibus, & divitis atque opulenti in tranquillitate potitorum deſideriorum ſuorum. Offert hoc ſeſe affectibus mortalitatis, qui conficiunt id mortiferis ſagittis. Verum, cum judicii ſui dexteritate, obvertens ſeſe in diverſas partes, & honeſtis morum bonorum exercitiis ſtudens, cavere, (non minimo tamen labore) poteſt ictus undique ingruenteis, telorum tam immanium. Cum vero ma-

ximè jam perſecutio illa fervet, fugiendum ipſi eſt maximo anniſu, quo demum pacto prorſus poterit tam atroce periculo liberari, quamlibet non omiſſuri ſint, affectus illi perditi, perſequi fugam abeuntis, & adhærere etiam nolenti, donec tamdem penitus effugerit hortum vitæ hujus. Et quomodo, (Diana inquit) potuerim ego adſequi tam occultum & prorſus difficile ænigma, quæ interrogatiunculas, & gryphos paſtorum, quamlibet longè intelligi faciliores, numquam ferè divinare valui? Ne te deprecies tantoperè, intercedens Silvagia ait, contrarium enim in te vel ego experta ſum, cum nihil umquam tale propoſitum fuerit, quod tu non ſummâ facilitate ſolveris. Satis nobis Temporis eſt, ſubjicit Felicia, ut in rem præſentem venire poſſimus, neque hæc feſtivitas minus nobis gaudiorum dabit quâlibet alterâ. Proponant ſingulæ veſtrum unum ænigma, novi enim ego omnibus ſatisfacturam Dianam, declarando omnia. Res cunctis optima viſa, præterquam Dianæ, quæ nequaquam tantam ſui fiduciam habebat, ut ſe tam arduo negotio parem putare poſſet; tamen, ne in

nein quoquam refragari velle Feliciæ videretur, & ut gaudium daret Sireno, quem cupere id prorſus ſentiebat, recepit demum onus, quod omnium exiſtimatio ipſi imponebat. Silvanus, cujus in ænigmatis proponendis inclyta erat fama, primum locum judicio collegii totius tenuit; qui ita mox locutus eſt. Optimè novi, Puella formoſiſſima, ſatis tibi ingenii & Sapientiæ ineſſe, rebus quibuslibet obſcuris explanandis, neque quicquam tam penitus latere, quin acumine tuo facilè id eruas, non tamen omittam interrogare te, ut vigor ingenii tui habeat quo ſe manifeſtiorem faciat omnibus. Igitur dicas mihi velim, quid ſignificetur hoc ænigmate.

Paſtori puero vidi junctam eſſe puellam,
Aridam, uti multo Lignea Sole ſudis.
Corpus ei cinctum eſt oculis plus mille, movere
Linguam nulla poteſt, eſt tamen illa loquax.
Surſum vis venti trahit hanc, retrahitque deorſum,
Stat tamen, & nullum nota movere pedem eſt.
Oſcula cum dat Amator, Amore haud lætus iniquo,
Illa dat in planctus carmina prona novos.
Quo magis os olli puer admovet, hoc magis illa
Clamat, ut audiri velle procul cupida.

Lumina nunc aperit, nunc claudere lumina certat,
Cerne labor quantus cogere sit pueram!
Nempe puer quando victæ dabit oscula, mutus
Ipse erit, illa modis garrula mirificis.

Hoc quidem ænigma, subjicit Diana, quãlibet benè sit acutum, mihi quidem non multum negotii fecerit. Te ipsum enim memini audire sententiam ejus enarrantem, ad fontem PLatanorum; cum nulla puellarum tum præsentium adsequi eam posset, tute nobis declarabas, puellam esse sambucam aut Utriculum cum fistulâ pastoralem, quem ille inflet; adjungens particularem omnium ejus membrorum applicationem ad propositam quæstionem, Risum omnibus movit oblivio Silvani, & constans Dianæ memoria admirationi fuit; à quâ uti se vindicaret, Silvanus, simul excusaturus errorem suum, subridens & ipse; Fateor, inquit, oblivionis nonnihil hîc intercurrere; neque tamen quisquam hanc illi æquare poterit, qua non ita pridem Sirenum suum Diana nostra prodiderat. Vindicasti te, respondit Sirenus, verum melius cecidisset ista iracundia tua, si Oblivio ista sponsæ meæ in alium, quam exoptatissimum

mum hunc, quo modo juncti fruimur, finem desivisset. Sufficiant hæc, interveniens Silvagia ait; omnia enim benè dicta sunt. Tu vero, Diana, responde mihi ad quæstionem hanc quam ego experiri volo an obscurius paullo loqui possit, quam ista Silvani. Sic autem sonat isthæc.

Vidisse sepem me recordor quamquiam,
Alto elevatam in aere.
Quæ culta pulcrè, quæ rigata sanguine,
Florebat herbis plurimis.
Illinc revulsam solius tactu manus,
Cordatus & sapiens homo
Eam reliquit pontis in viciniâ,
Querulam, dolentem nil tamen.

Diana ad sponsum suum conversa; non reminisceris, inquit, Sirene, audivisse te Ænigma istud eâ nocte, quâ apud cognatum nostrum Iranium diverteramus? Non reminisceris, recitasse illud nobis Marontium, filium Fernasi? Certè, inquit Sirenus; non autem sententiæ ejusdem. Ego autem, reddit Diana, & solutionem ejus memoriâ teneo. Dicebat sepem eam esse caudam Equinam, qua evulsæ setæ aptantur pulsandis lyrarum chordis, quæ sonum exinde dant, quamlibet nullos patiantur dolores?

Ita esse confessa est Silvagia, & illum ipsum Marontium, auctorem ænigmatis, sibi id dedisse commendatum bonitatis, quamquam & meliores quæstiunculas se diceret habere. Sane, inquit Belisa, sunt aliæ omnino acutiores tales, quibus licet accenseas eam, quam modo ego propositura sum: Attende animum Diana, vix enim evasura videris, quin capiaris hâc vice. Ista autem est quæstio nostra.

Dic mihi quæ sit avis, quæ, cum volet ardua semper,
Semper in uno eadem stat tamen apta loco.
Quo cupit, hæc, penetrans, uno maria omnia transit
Impete, cælum ipsum cum lubet evehitur.
Fixibilis non est; qui discere volt eam, is horâ
Saltim unâ sapiens qua tenet hanc, fuerit.
Nulli aliter capienda. domus, ubi degit, ocellos
Solis esto frui denique parietibus.

Infelicior quidem ô Belisa, Diana tum inquit omnibus hactenus propositis mihi, tua hæc est quæstiuncula. Illarum enim fortè nullam adsecuta fuissem nisi antè declarari audivissem: Tua vero hæc talis mihi obvenit, ut simul audita & intellecta fuerit: Id equidem inde contigisse

existimo

existimo quod adeo facilis & obvia sit perspici, uti à quovis ingenio, nullo labore, possit deprehendi ejus sentẽtia. Certe evidens est scitu, avem illam, quam tu dicis, Cogitationem humanæ mentis esse, quæ summâ celeritate volat, neque ab ullo visa umquam est, sed coniecturis modò, de vultu, & membrorum habitu, ductis, aliquando deprehensa. Victam me agnosco, Belisa respondit; neque habeo quod dicam amplius, nisi quod voluntati & arbitrio me tuo totam submitto. Ego te pulcre vindicabo, infert Ismenia, uno meo ænigmate, quod scio, etiam prudentissimis pastoribus, maximos labores dedisse; Quod ubi tibi proposuero, Diana, non credo te tam felicem in ejus expositione futuram, quàm fuisti in levioribus illis, hactenus, recensitis. Id tale est.

Dic quis magister ille, cui Dominus suus
Servire rite cogitur?
Vt fatuus ille fixus est uni loco,
Nec se ipse quopiam movet:
Ad magna dexter, nec tamen sensûs capax,
Sine, litteratus, litteris.
Cum me prope est, quid autumet, benè sentio,
Nec audio quicquam tamen.

Tanta hujus est Sapientia, ut, nihil loquens,
Me mille rebus instruat.

Felicem me arbitrarer, Diana respondit, superatam à te fateri potens, ô amatissima Ismenia: Verum cum jam dudum sim tibi speciositate, & infinitis aliis virtutibus, non mihi pro magno habebitur, vincere te explicatione propositæ vicissim quæstionis, qua me compeditam abducere voluisti. Alter jam annus vertitur, ex quo Lugdunensis quidam Medicus domum nostram venit, curaturus Patrem meum, morbo quopiam tum decumbentem. Ei cum in manibus aliquando librum quempiam viderem, tuli illum homini, & me ad legendum composui. Tum in memoriam ducens, quanta mortalibus utilitas ex hoc genere monumentorum proveniret, dixi, videri mihi mutos eos magistros perhiberi posse, qui, citrà vocem ullam suam, tantam nos copiam bonarum rerum docerent. Ille, rationem meam laudans eidem proposito hoc mihi ænigma recensuit, quo commendatio singularis librorum artificiosè conclusa est. Verâ veritate, inquit Ismenia; non est homo natus qui te acumine ingenii superare possit. Ad minimum vix

vix ulla jam ex nostro choro supererit, satis animi habens, ad provocandam jam virtutem tuam; non tamen hoc de istis Nobilibus fœminis dixero, quibus nescio an parata etiam arma sint, ad confligendum tecum. Alcida, quæ eousque tacita vacaverat audiendis Musicis concentibus, spectandis ludis, & Choreis pastorum, & intuendo Marcelioni suo, voluit tum & ipsa periclitari duelli talis eventum, dicens. Postquam pastorales istas puellas superasti, Diana, non videtur culpâ cariturum negotium, si nos noluerimus tentare aleam ejusdem congressionis tecum. Itaque & ego tibi gryphum aliquem solvendum proponam, quamvis penè jam dum certa, eâdem te facilitate cum cæteris eum quoque divinaturam; tamen experiri sedet. Docuit eum me Magister quidam navis cum Neapoli maritimo itinere Hispanias peterem; commendavi verò memoriæ, quia satis mihi pulcer videbatur, factus in hæc verba.

Quis umquam equum vidisse se dicet mihi,
Qui, sorte conditus novâ,
Numquam comedit, sustinetur alite
Vento, cui par cursitat?

Miracula magna conficit, cursu effero,
Adigitque pectus horridum,
Sua fræna proprio habens recepta viscere,
Itinera præscripta obsequi.

Paullùm cogitabunda, post auditum hunc ſcirpum, Diana, permanſit, perpendens & exigens animo neceſſariam explicationis ſeriem, parteſq; diducens, enarrationi applicans. Tamdem conclusâ enodatione ita prolocuta eſt. Cōveniebat, ô formoſiſſima Domina, in tuâ potiſſimū manu relinquere victoriā, quam videbar de iſtis Nymphis paſtoralibus iſthîc cōſecuta eſſe, cum, quicunq; ſe tibi victum fateatur, nobiliſſimo intellectui, & ſubtiliſſimo iudicio tuo ſubditus, magnam gloriā in ipsâ utiq; traditione Victoriæ apud te inveniat. Itaq;, ſi per Equum iſtum tuum aliud quid, quā pelagia Navis, intelligendum eſt, confiteor ego ſuperatam me ænigmatis tui ſubtilitate, explicationem eius excogitare non poſſe. Satis equidem, Alcida reſpōdit, clarior res eſt me ſolutione tuâ victam eſſe, quam te gryphо meo, cum confeſſa nō intelligere, tam perſpicuâ illum veritate explanaveris. Cōiectavi, inquit Diana, & ſi res tacta eſt, non ſcientiæ meæ, ſed felicitati fortunę, divinationi

tioni faventis, successus negotii rescribendus erit: Ipsa enim in vacuũ augurata sum, nequaquam certa Veritatis. Tum Alcida. Nihil non sperare oportet quemlibet de tã felici conjectrice, cujus judicium, tam exquisitũ, omnibus facile obscuritatibus elucidandis supererit. Nũc velim exponas nobis etiã, o divinatrix sagacissima, ænigma aliud, quod Clenarda, germana mea novit, nequaquã vulgare nobis visum: Neq; tamen affirmare possim, an ea adhuc memoria id habeat: Conversa sic ad Clenardam; facias rogo hanc, soror, gratiam nobis, ut puellæ isti sapientissimæ tuum quoq; illud ænigmation proponas, quod in civitate nostra meminisse potes obtulisse te quondam Berintio & Clomenio, agnatis nostris, cum domi Elisoniæ in colloquium convenissemus. Et volens quidem, Clenarda retulit, non enim dum memoriâ excidit; post, paullum commorata, hoc modo quæstionem suam in medium dedit.

Dicite tres cubitos quæ cum sese elevet alto,
Numquam, avis, è patriâ surgere possit humo.
Triginta pedibus nitens, subit, & descendit,
Implumesq; alas, aëra pulsat, habens.

Non comedit, non, illa, bibit; cantat ve, gemit ve;
Vicina horrendo est semper ea interitu.
Saxa vomēs ferit illa homines, misera, & captiva,
Humanis tamen hæc gaudet amicitiis,
Continuis assueta malis, raptuq; neciq;,
Quos perimit diris prodiga condit aquis.

Ad hoc Diana. Non foret, fateor, meæ opis, divinando hunc gryphum tangere, si citra explicationem ejus, alibi à me audi-tam, foret; recensuit autem eam mihi pastor quidam de pago nostro, qui navigaverat aliquando. Non satis scio an memoria bonæ etiam fidei sit, tamen puto ab eo dictum, Navim intelligi, quæ Galera vulgo nuncupatur: Quæ, in medio mortiferarum undarum constituta, semper interitui vicina est; pariter assueta raptibus, mortuos projiciens in fluctus ponti; pedes habet suos sibi remos, alas, velorum expansorum sinuosa volumina, Saxa quæ projicit, Catapultarum & Ballistarum ignem vomentium globi sunt. Nil superest, Clenarda respondit, quam ut, in orbem omnes uno censu consitæ, herbam demus junctim Dianæ, ut nulla ex nobis non victa sit, & nulla gloriari præ cæteris possit. Ita vivam, optima Diana, ut excellens istud inge-

nium

nium tuum, & Sapientia ferè incomparabilis, mirificè nos afficit, & in admirationem tuarum virtutum rapit! Neque video præmium, quo remunerari tam insignia merita tua possit fatorum favor, præter unum hoc, quod conjugio te tradidit Sireni. Hæc atque alia colloquia, & civilitatis exquisitæ exercitia, intervenerant nuptialibus festivitatibus, cum Felicia, contemplata Sapientiam, civilitatem, Gratiam, venustatem, & Æquabilitatem blandæ humilitatis in eâdem Dianâ, quibus virtutibus & ipsa velut attonita facta fuerat, detrahit digito suo annulum pretiosissimum, gemmâ ornatum commendatissimę bonitatis, quem longo ipsa tempore gestitaverat, eôque munerata eam, in recompensationem dexterrimè expediti officii, dixit: Hoc tibi munusculum Diana, puellarum decus, pro testimonio serviat Amoris mei, obses voluntatis meæ, quâ nihil me non tui causâ quandoque facturam, spondeo. Custodi istum annulum diligenter, & benè serva; erit enim tempus cum magna tibi ex eo prodibit commoditas. Ingentibus gratiis ob tam splendidum munus actis, Diana, manibus Antistitę osculum tu-

lit; idem itidem fecit & Sirenus: Atque hic, finitis jam ceremoniis iſtis, dicere orſus eſt: Unam ſolam rem obſervavi in quæſtionibus hîc ornatiſſimè propoſitis hodiè, cuius rationem non video; nimirum ſolas fere mulieres ius proponendarum earum ſibi uſurpaſſe, muſſantibus viris; qua quidem re confeſſum & demonſtratum hi feciſſe mihi viſi ſunt, imparem prorſus in delicias tales intellectum eſſe virilem muliebri ſubtilitati. Adhæc Felix, cavillabundus: Ne mireris, Sirene, ſuperiores nobis ſubtilitatibus talibus eſſe fæmellas, cum cæteris infinitis virtutibus tanto à nobis ſpatio relinquantur, ut nulla ſit prorſus comparatio. Non tulit cavillum Felicis Beliſa, arbitrata, ut æſtimare licet, ſeriò talem ſexui notam inducere velle hominem; itaque mulieres propugnabunda, ſanè, inquit, Domine Felix, cupimus nos ſuperari à viris, & eô ipsô demonſtramus excellentiam noſtram, quod ſpontè, & prorſus non coactæ, ſubiicimus nos voluntati veſtræ, qui meritis vos veſtris ſuperiores eſſe fruſtrà argutamini. Non enim deſunt ſexui noſtro fœminæ, quæ, dubiâ palmâ, optimis

mis etiam comparari de veſtro poſſint genere: Quamlibet enim abſcondatur aliquando Aurum, non deſinit tamen ſecum ſervare pretium ſuum. Veritas verò tantæ eſt virtutis, ut adigat vos etiam celebrare laudes noſtras, qui alioquin profitemini contemtores noſtrorum decorum. Non erat ſanè tuæ mentis, Floriſia, puella paſtoralis, inſigni Sapientiæ & Ingenii famâ; quæ quodam tempore, in noſtro pago, congregatâ tum, celebri nuptiali Epulo, magnâ paſtorum, longè & propè habitantium, frequentiâ, ad ſonum Lyræ & Cymbali, ſcitè à duobus eâ gratia opilionibus, attemperatorum, cecinit in Laudem & Defenſionem Muliebris generis cantilenam tantæ ſuavitatis, ut non ſolum mirificè ea ſexum noſtrum afficeret, ſed, quamquam ad vivum inibi tacti, omnes etiam præſentes viri eam inſigniter commendarent: Quod ſi perſtiteris pertinacius in propoſito tuo, nō ſanè deterrebit me ulla moleſtia, quin ſuis illam tibi numeris hîc occinam, ut diſcas aliquà melius ſapere. Riſum omnibus movit ſtomachabunda Beliſæ intercesſio, & iocis ea materies nō paucis ultrà citràque data eſt. Ad finem optimus

ſenum, Eucherius conſentiente patri filio Polydoro, ne occaſionem fruendæ tam gratioſæ Muſices amitterent, quam quidem tum de oratione Beliſæ ſperare poterant, ipſi dixêre. Beliſa formoſiſſima, optimo, ſi cuipiam, jure, ſexui veſtro debetur talis aliqua defenſio; neque quiſquam de noſtro erit contubernio, qui non ardeat cupiditate audiendæ Cantionis illius, de quâ modo ſermocinata es, notâ quippe omnibus ſuavitate vocis tuæ, quam tali materiâ canentem auſcultare poſſe, ſanè fuerit voluptas maxima. Tum Beliſa; non detrecto operam, modo Deus faciat revocare memoriâ poſſe integrum carmen; ſed occipiam certè, interim enim dum primos cano, ſpero ſpontè mihi ſubventuros cæteros verſus. Cum dicto, Arſileus, qui conjugem ſuam ad canendum ſe componere, viderat, occupatâ cytharâ ſuâ, invitavit vocem; Et ita junctim incinere cæperunt Floriſiæ carmen.

Ferox Iambe, turbida arma concrepans,
Prodi è latebris hûc tuis.
Terribile ſævo claſſicum vibrans ſono,
Inſurge virtutem in tuam,

Linguam

Linguam acue dictis, Spiritum in pectus rape,
Irata torquens carmina.
Gens quippe bruta, inscitiam sequens suam,
Muliebre diffamat secus.
Quæ dicit illa, ex te audiat, cum fænore,
Meretur ut tantus furor.
Tu factus, usus mentiendi, quem malâ
Excæcat, assuetudine.
Superba rebus de tuis dicta aggerans,
Ridiculus iracundiâ,
Quæ mala profari in rem potes tanti preci
Nisi ut ipse tibi dicas male?
Vna hæc mulieri grandis ignominia est,
Putare si rectè voles,
Monstrum quod illa te, malum, partu edidit,
Malediceres matri ut tuæ:
Si te, tuique simile, delirum genus,
Non pareret illa masculum,
Nemo sit, ipsam qui molestiâ gravans,
Tali strepat mendacio.
Sic illa corvum exclusit, oculos ut suæ
Genitricis unguibus eruat.
Quid, ut parentis optimè officium ferat,
Coniuxque sit Fidei bonæ,
Virum tulisse comparabile autumes,
Matri & maritæ nobili?

Quâ mente, Curâ, queis in ægrimoniis,
Sobolem educat mater? malâ
Officia cuncta quæ rependit gratiâ,
Duplicans dolores perditos?
Sollicita genitrix quid neget nato suo?
Quid ille non matri, malus?
Quam gaudet illa sorte filii bonâ,
Quam luget ad contrariam!
Quam dira, mulier, patitur ob virum suum,
Comitatur hunc suo malo,
Si læva sors est, pessimam partem trahit
Coniux sibi, & viro, dolens!
Abiens miseriis, gaudio afficit redux,
Sua fata sectantem, domo.
At gens dolosa ludit harum in miseriis,
Zelumq; Amorem nominat.
Sueti dolosas fingere atq;, artes, sequi,
Ludum putant Amarier.
Sagax profecto mulier, hos moreis videns,
De mente deleat virum,
Vel visum eum vidisse non putet sibi,
Redhostiens malum malo.
Quæ furia porro est, cum viro haud valet gravi
Vbique mulier cedere,
Eiusque prorsus cuncta ferre laudibus,
Et, Euge, ad omnia dicere!

Tum bestiam illam, & proditricem clamitat,
Modesta, dura dicitur,
Exsensa casta, fit superba quæ sapit,
Honesta crudelis venit.
Atq; utinā haberēt iure cunctæ hæc nomina,
Essentq; pro monstris viris,
Non tot dolosis fallerentur cassibus,
Habitæ malo ludibrio.
Cum quid cupiscit, moritur in cupidine,
Cum potitur, illico abiicit,
Odisse vitam dicit, & testes Deos
In vota, Amator, exigit.
Cæcum esse clamat, vulneratum dejerat,
Cunctis miserijs obrutum.
Sunt fluvius oculi, flamma Cordis tormina,
Historia longa nascitur.
Innumera millia adfluunt suspiriis,
Lacrymæque torrentes agunt,
Iam Deus haberi volt Amator, jam rogo
Orcoque clamat proximum.
Victum modo infert, carcere in fœdo jacet,
Felixque in ipso carcere est,
Modo Victor exit, dicta Fortunæ bonæ
Mala dicit, & Malæ bona.
Odere vitam, tot modo exantlant neces,
Forteis uti viros putes,

Nec tamen obire mortui possunt sibi,
Rapiuntque, dantque, perfidi,
Confusione sensuum degunt gravi,
Animasq; lancinant malis.
Ferunt, trahuntq; cor suum, gaudent, dolent,
Queruntur, ardent gloriâ.
Hâc propter olim, cum me Amare diceret
Melibæus, hoc respondi ego:
Pastor, nec ista dicta vestra intelligo,
Nec quippiam credo tibi.
Videte nunc viri, videte perfidi,
Puella quam sapiat benè
Vestros quæ Amores mente proculcat catâ,
Mera autumans mendacia.
Exinde non jam nos calumniamini
Feras, cruentas, bestias:
Videmus etenim velle vos aliud nihil,
Nisi nos honore, nomine,
Spoliare, vitâ, & divites nostris bonis
Vos facere per fas, & nefas.
Sic casta si qua, si puella, est candida,
Loquiturque blandè cum viro,
Hanc impudicam deinde vociferamini,
Hoc vestri honoris præmium est!
Caveat sibi ergo quæque; vos vitat? fera est,
Amat? Impudica dicitur.

Quod

Quodq; hisce pejus, omnia, adversis Diis
Meritò secuta vos, mala,
Miseris puellis imputare tenditis,
Ad usq; fata mortium.
Stultitia vestra est, non puellaris decor,
Si Forma vos perimit nitens.
Stultitia Paridis eruit Trojam solo,
Non Forma Tyndaridis decens.
At cur pudore vestra nos convicia
Spoliare, male sani, volunt,
Quas tot molestis, perditi, sectamini
Noctu, diuque, canticis,
Tentare mille, non quiescenteis, modis,
Spolietis ut nostris bonis?
Non ulla cura nostri honoris vos tenet,
O Dissoluti, ô perfidi,
Quanto eruditi tanto inepti estis magis,
In nosque magis injurii!
Onerati adestis hâc malâ mentis febri,
Puella se ut perdat malè,
Eam rogantes, uti per hanc vobis benè
Vestrisq; sit deliriis.
Sic involastis multa millia impii,
Periere quæ vestro bono,
Castæ atque sanctæ; petitis has præ cæteris,
Hic ille vester est Amor.

Sed præſtat ire per genus verſu ſacro
Muliebre, laudantem bonas,
Conſtanter ut virtute ſe teneant ſuâ,
Amentque corde ex intimo.
Quot nominari cenſu in hoc queant, viris
Vitâ parentãtes ſuâ,
Quas gravis ab obitu coniugũ extinxit dolor,
Immortuas fidei ſuæ!
Hippolytus ingens caſtitate dicitur?
Lucretia eſt minor nihil.
Res ſanè, Ephebus, maxima eſt, Caſtus; preces
Pulcræ refutans fæminæ.
Hippolytus unus ſeculis cunctis adeſt,
Bis mille ſunt Eucretiæ.
Sed Forma valeat, veniat in partes, cato
Doctrina, debita pectori.
Sappho & Corinna, principes Sapientiæ,
Et ingenI, an cedant viris?
Vi, Gloriâ nos, iure non, turbant, viri,
Soli ut ferantur incluti.
Hâc arte regnant, quæ tyrannis eſt mera,
Vi iuſta iura proruens.
Quod ſi librorum conditoreis dictites,
Senſiſſe de nobis malè.
Hæc Ratio certè futili niſa eſt pede,
Seſeque turbat ipſamet,

Quid enim? ipsi iidem, de viris etiam libri
Peiora veteribus canunt!
Quid quod suæ ipsi non queunt causæ, viri,
Sedere iusti iudices?
Quorum interest de fæminis loqui malè,
Vt gloriam teneant suam?
Sed & ipsi iidem, traditores criminum,
Muliebre queis scateat genus,
Virtutis harum testimonia, indidem,
Promenda, dictant plurima.
Inibi fideles invenire est, est catas,
Fortesque, honestas, & pias,
Illæ fuere decora magna temporum,
Et astra mundi lucida,
Formâq; consilioque laudatæ, & bonis
Cor, mensq;, &, Hilaritas, viris.
Hæ mente captâ triste tristitiæ fugant,
Et corde toto, nubilum.
O stulta gens, has propter in versus venit
Vestris, Camœna, laudibus!
Harum ergo magna semper egistis viri
Togâ sagoq; facinora!
Vos, ergo, in aliena inquieti crimina,
Cum mentio mulierum hinc erit,
Ne, propter unam & alteram, sanè haud probas,
Totum involetis in secus.

Sunt multa contrà ſanctiorum millia,
Virtute cunctâ prædita.
Has ferro & armis qui tuemini, nefas
Lacerare ducatis probro.

Gratiſſimæ omnium animis auribuſque acciderunt Laudeis iſtæ, & patrocinium, tam venuſtum fæminarum, præcipuè Gratiâ cantatricis commendante dictorum Genium; ſententia igitur omnium Beliſa victrix, pro victo cenſitus fuit Felix, gaudium victoriæ participante Arſileo. Nemo non virorum præſentium, pro ſe confitebatur, veriſſima eſſe quæ, in favorem ſexus honorabiliſſimi, decantata erant, neque cuiuſquam animum malè habuit, quicquid tam longa ſeries carminis contrà meliorem, injurioſius videri, intulerat: Præcipuè quæ inibi erant, de dolis, fraudibus, inſidiis, fictiſque lamentationibus; quæ tamen omnia uno argumento averterunt, affirmantes, ſæpiſſime altiorem in virili pectore fidem, firmiorem Amorem, eſſe, quã audeant & poſſint, ſermonibus efferendum credere. Arſileum autem maximè afficiebat reſponſio Melibæo à Floriſiâ data, quam inter cætera eadem cantilena retulerat; tum quod iucunda foret per ſe ipſam, & ſa-

Hæc poterãt aliter etiam verti in favorem nimirum Mulierum.

& ſapiens, tum quod in memoriam ipſi revocaret aliam, illi eidem negotio, propriã, cantilenam, quam quandoque ex Belisâ ſuâ audiverat, maximè illam gratã tum ſibi, & nemini jam non commendabilem. Rogare itaque cæpit, ne gravaretur & ipſam, die tam hilari, tam nobili occentare ſodalitio, cui utique bonæ delectationi futura eſſet: Non erat civilitatis Beliſæ negare tale quid petenti conjugi ſuo, quantumvis itaque nonnihil ipſi laſſitudinis de præterito cantionis labore ſupereſſet, ſic tamen novam etiam hanc, ſuccinente fidibus Arſileo, adorſa eſt.

Cantabat Melibæus,
Ignes Floriſiæ ſuos;
Reſpondit Melibæo
Hoc Floriſia, Carmine:
Non intelligo, Paſtor,
Nec credo, tibi quæ canis!
Ille addit; mea vita,
Viden' ut moriar malè,
Atque ut mente volenti
Mortem ipſam tibi ſufferam,
Spe, voto, atque timore
Et deſiderio oppetens.
Reſpondit Melibæo

Hoc, Florisia, carmine:
Non intelligo, Pastor,
Nec credo tibi quæ canis.
Ille addit: mala mentis
Quo me major hyems premit,
Hoc fax crescit Amoris.
Nullum à te peto præmium
Serviens tuo Honori,
Et Desiderio oppetens.
Respondit Melibæa
Hoc, Florisia, carmine;
Non intelligo, Pastor;
Nec credo tibi, quæ canis!
Ille addit: mihi mors sit
Vitâ optabilior, nisi
Sic te cernere perdam:
Et sic cum video tuos
O Lux viva, Lepores,
Mortem dispereo malam!
Respondit Melibæo
Hoc, Florisia, carmine:
Non intelligo, Pastor,
Nec credo tibi, quæ canis!
Ille addit: tua cernens
Et non, lumina, torqueor.
Et quò quæro magis te
Hoc offendere amo minus.

Qualis mille coloreis
Mutat fabula Prothei.
Respondit Melibæo
Hoc, Florisia, carmine,
Non intelligo, Pastor,
Nec credo tibi, quæ canis.
Ille addit: mage felix
Quam sum, vivere non velim.
Ne spes ipsa mea ista
Sic te, vita, habeat malè.
Cum pro te doleo, dat
Mille hic delicias dolor.
Respondit Melibæo
Hoc, Florisia, carmine:
Non intelligo, Pastor,
Nec credo tibi, quæ canis.

Dum melos hoc Belisa decinit, Felicia mãdaverat uni ex Nymphis suis, quid facto opus esset, ut novâ hilaritate festivitas nuptialis perfunderetur: Illa mandatũ Dominæ tam feliciter exsecuta est, ut cũ ultimis Belisæ canentis verbis de proximo flumine audiretur ingẽs tumultuatio, æstibus undę consonantibus armorũ remorũq; stridori. Cũ omneis illuc obvertissẽt vultus, & ad ripã sese contulissent, viderũt secũdo flumine descendere duodecim scaphas, duabus

alis diſpretas, variis coloribus variegatas, ſplendidiſſimis ornamentis excultas; Vela alterius aciei, ſex nimirum navium, candida & Rubricoloria erãt, & puppibus earumdem Vexilla ejuſdem coloris ſuffixa videbantur: Reliquæ ſex nigris notatæ velis invectæ, Vexilla croceo colore tincta præferebant. Remi omnibus pulcerrimè inaurati ducebantur; univerſa claſſis Roſis & floribus cooperta procedebat. Singulis porro navigiis inſidebant ſex Nymphæ virgines, Mauritano ritu, veſtitæ; alterius quidem aciei candido & rubro, alterius contrà nigro & flavo colore diſtinctæ; auro texto, & argento neto undique relucentibus. Bracchia hæ à dextris mamillis nudaverant, manicas puro auro fulgentes amictæ; ſcuta ſiniſtris gerebant, uti pingi ſolent Amazonum præſtantiſſimæ. Remiges erant Satyri & Sileni, coronati roſis, ad foros navium argenteis catenis fixi. Ita paullum navigia proceſſerant, cum ſubito ingens clangor tubarum, lituorum, cornuumque inter ea exſonuit, aliis indidem quoque Muſicis inſtrumentis accedentibus: illico paria compoſuere ſe navium, & ita ordine, duæ junctim,

prodire

prodire porro cæperunt. Hinc in contrarias duas acies momento citius rediere; & de medio ſingularum, ſingulæ ſcaphæ, cæteris in ſtatione immotas ſe tenentibus, in medium proceſſere, obverſis proris oppoſitæ. Scaphæ huic cuique inerat Satyrus unus, partis ſuæ colore veſtitus, pedibus ſuper tabulatum proræ inſiſtens, lævâ Clypeum protendebat, tantæ longitudinis, ut, à vertice ad talos, totum eô corpus tegere poſſet, dextra autem manu contum, mille coloribus pictum. Complicatis utrimque velis, remis ſummâ ope adductis, magnâ contentione concurrerunt hi bellatores; Ingens interim Nympharum applauſus, Satyrorum clamor, & tubicinum, liticinumque clangor, non ceſſabant de ſingulis partibus animare concurrentes: Remiges, adnixi ſummis viribus, impetu quam vehementiſſimo præcipere alter alterum laborabant, ut colliſio fieret ſtrenua. Cum jam tangeret Satyrorum alter alterum, & conti ſcutis figerentur, riſu dignum ſpectaculum obortum eſt; Nullo enim adniſu tantum efficere uterque poterant, ut conſiſterent pedibus, ſuper navigium, ſed impetu remorum, & ictibus haſtarum detur-

bati ambo præcipites abibant, modo in vortices fluvii, modo in alveos ſcapharum. Ad hęc plauſus Nympharum, ad ſonum inſtrumentorum numquam ceſſantium, mutabantur in cachinnos, & lætis omnia clamoribus perſonabant. Pugnatores ipſi egregii, quoties in flumen conciderant, cum nataſſent nonnihil hinc inde, manibus in navigia porrectis, à puellis reducebantur, ſuarum quidem ſinguli partium, unde mox denuò præcipitati, novam riſui materiam præſtabant. Ad ultimum, Scalmus, Rubro & Candido colore notatus, tanto alteri impetu impactus eſt, & ab propugnatore ejus adverſarius eâ dexteritate impulſus, ut cedere loco & præceps in profluentem ire coactus fuerit, Victore firmo ſe pede ſuſtinente: Ad quam victoriam triumphum tãto clamore cecinere Nymphæ ejus aciei, & tam dulci altoq; ſono Muſicos ſuos concentus inſtauravére, ut contraria pars non parvo fuerit pudore confuſa. Auxit hunc non minimo opere unus ex Silenis qui remigiis adfixi erant; prævalens corpore, & membris robuſtiſſimis. Is impudenti clamore efferus in hæc verba vociferabatur:

rabatur: Eſt ne credibile, in noſtro hoc agmine tam nauci & ignavum hominem, tam nullius omnino virtutis, fuiſſe, qui tantillis iſtis ictibus adverſarii imbellis propulſus, ſtatione cadere potuerit? Demite mihi, ô Nymphæ, vincula catenarum iſtarum, & meo loco affigatur piſtrino iſti homo, tam prorſus fæmina, videbitis quo pacto meâ virtute ego de victis vos victores facere valeam, illos autem majore etiam pudore confundam, quam quem illi modo nobis induunt! Cū dicto una Nympharum ſolutis vinculis liberat jactatorem glorioſum: Ille extemplo magnifico cum geſtu contum & ſcutum arripit, & magnis paſſibus adſcendit in locum victi: Nec mora, remis fortiter utrinque adductis, cōcurſum denuo eſt, Nymſis de more grandi clamore applaudentibus. Sed alterius partis Satyrus non habebat opus in magnificū iſtum alieni pudoris vindicem haſtam dirigere; ille enim non ferens impetum navigii proprii, nullo potuit modo conſiſtere gradu, quin ipſa celeritate remorum, prorâ excuteretur, & cum omnibus armis ſuis, quantus conſtiterat, caderet de tabulato navis in profundum fluvium, monens exē-

plo ſuo omnes, qui ſuperbiâ verborum fa-
cta aliena premere, & ignaviæ ſuæ pallium
obducere volunt, caveant ſibi à paribus &
majoribus periculis. Nymphæ partis, poſt-
quam obnataſſet paullum, quamvis alia o-
mnia meritum, eum quoque in ſcapham
receperunt. Quinque vero Nigræ naves
cæteræ, cum hunc rei eventum cernerent,
inſtar inſaniâ percitarum, remis veliſque
adverſarias incurrere cæperunt: nec mo-
ratæ illæ ſummâ alacritate irruentes exce-
pere. Ingens orta & veræ ſimilima pugna
eſt, Nymphis utrimque magno numero
globos, velut de tormentis, cereos, albos,
& coloreos, intus aquis beneolentibus ple-
nos, ejaculantibus; tantâ autem dexterita-
te ordines ſervabantur, & tantâ commit-
tebatur prælium alacritate, ut ſeriam pu-
gnam fuiſſe vix quiſquam, Luſus inſtituti
ignarus, dubitaſſet. Ad ultimum dedide-
re ſe nigræ Candidis pugnatrices; & hæ in-
ſtar victricium illarum navigia inſilientes,
ut mos eſt Vincentium, ad ſonum ejuſ-
dem Muſicæ, ripam appulere, ibique &
victæ & victrices, in terram proceſſere, Sa-
tyri autem & Sileni nigræ claſſis, capti-
vi velut in triumphum ducebantur, & de

Nym-

Nympharum, manu in ditionem redactarum, formositate ingens in agmine Candido lætitia fuit: Tota porrò Amazonum hæc acies, speciositate suâ divinâ oculos mortaleis in maximam ducebat admirationem. Finito spectaculo, Felicia, voluit ad fontem consessus pristini redire, quam eôdem secuti sunt Eugerius, cum toto sodalitio cætero. Illuc cum venissent, invenerunt inibi Pastorem quemdam, qui, dum ludi illi deluderentur, intraverat hortum, & assederat amœnitati bullantis aquæ. Videbatur omnibus singularis elucere vultu & moribus hominis venustas, præcipuè Feliciæ, quæ agnoscebat eum, & ita allocuta est. Meliori tempore huc venire non poteras, Turiane, ut remedio dolorum tuorum potireris, & augeres simul hilaritatem hujus sodalitii: Quod itaque attinet dolorem tuum, tractabimus paullò post quo pacto illi subveniri possit, in præsenti vero, ut locus & dies poscunt, ostendere nobis non gravabere, quid cantu & fidibus valeas. Jam video lyram te promsisse de thecâ suâ, & grati aliquid huic formositatum Choro occinere spontè cupere: canta, sodes, optime vir, aliquid de

Elviniâ tuâ, optimè tibi à nobis ea opera compensabitur. Miraculi instar Pastori erat, nominari & se, & amasiam suam nomine, ab Antistitâ; quodq; tam promtè ea malis ipsius remedium promisisset; itaq;, ut gratus animi videretur, erga tam optabiles oblationes, mandatum ejus exsequi maluit, quam verbis verba reponere; cumque consedisse omnes videret, & auscultantium habitu compositos, lyram voci attemperans, hoc melos dececinit.

Ver ubi restituit se mille coloribus herbis,
Tristificas campis eiiciens hyemes:
Rident prata, nitet cæli lux, orbe sereno,
Vbere grex gaudet, dis viget Vpilio.
Regina volucrum floridas per arbores
Philomela cantus dividit.
Dulces Aura sub antris
Fonteis lætificis rigat.
Carmen suave ponè, Nympharum Chori,
Avesque Musicæ, movent.
At si oculos, mea lux, inde avertisse laboret,
Elvinia; in mundum dira redibit hyems.

†

Ninguidus ut Boreas, florenteis arbore frundes,
Floribus atque herbis exspoliarit humum.

Desistit

Desistit cantu, Philomela, in saltibus, & se
Desertus campis undiq; condit honos.
Nox mille superat perditos horis dies,
Victo calore frigida.
Cæcis tecta tenebris,
Lux, tristeis nebulas subit.
Aer serenum nubilo obducit caput,
Lugentque certatim omnia.
At si oculos mea lux campis adverterit, è re
Elvinia, in nova, Ver, Gaudia mundũ adiget.

†

Cum tonitru adverso tenebrosus inhorruit æther,
Fulguraq; ex omni tristia parte ruunt.
Auxilio prorsus, Pastor, desertus ab omni,
Tristis, & attonito pectore, cor suum edit.
Excussa ventis grãdo cum pugnantibus,
Segetem atq; culmos destruit.
Pastor passibus exit
Infelix properè citis.
Amara mentem pascit ægrimonia,
Annona metuitur gravis.
At si oculos mea lux adverterit ætheri iniquo,
Succedent tristi sidera læta hyemi.

†

Cum cytharam pulso vel vocem in carmina du-
co,
Vlmo sub celsâ, aut umbriferâ PLatano.

Et iam mille meis responsant undique dictis
Hinc merula, hinc fractæ vocis Alauda potens.
Tum dulce ad aurā capto frigentem melos,
Interna gaudens gaudia,
Liber pectora curis,
Lætâ mente placens mihi:
Exsors Timoris, dives in bonis meis,
Sortisq́; contemtor vagæ.
At si oculis mea lux advenerit iracundis,
Elvinia, haud tantum tela Iovis metuam.

†

Delia silvestreis sequitur dum per iuga cervos,
Castificis mentem tota vacans studiis.
Cincta sodalitio florente perambulat actas,
Saltusq;, & campos, & nemora, & silvas.
Satelles illam sequitur hinc Hamadryas,
Tegit hinc Napæarum Chorus.
PLeno copia cornu
Præcedit, quatiens Rosis
Calathos odoris, cuncta virgineo favent
Divæ triumpho nobilis.
At si illuc veniat, ubi venatur, mea diva,
Elvinia, huic magnis, Diva, abeat spatiis.

†

Cum mea lux florem membrorum in fonte lavabit,
Per quem clarorem ipsa auxerit unda suum.

Cynthia

Cynthia si tum aderit; ad humum, Dea, figet ocellos
Victa pudore, meæ Virginis ad speciem.
Fons ipse, claro latice iam pellucidus,
Sic membra reddet singula,
Vt se cernere marmor
Sub undis Satyri putent,
Ita rara forma capiet adspectu viros
Et detinebit unico.
Vt miser Actæon, decora hæc spectare laborans,
Non cervum induerit, marmoreum at lapidem.

Mille mei versus, vicibus vos mille recantem,
Et repetam, hæc eadem millia, mille modis,
Si mea mens cantu Solem hunc placare valeret,
Mitificis uti me conspiceret radiis.
O mea, ceu bene Clara, ita iô, male, iö, fera, Stella,
Vnde meæ vitæ statq; caditq; Vigor.
Sim felix utinam tantum, ut Clementia vestra
Respiciat, vel, me, Lux fera ut interimat!

Nemo verbis assequatur quantoperè omnes adfecerit vox & Gratia canentis Turiani; Erant ambæ hæ ita conciliatæ, ipse tam speciosus & comis, ut Apollinem ipsum te vidisse & audivisse dixisses, cum ille aliquando in pastoralem habitum cælo descendit; nec sanè tam perfectæ for-

mositati quispiam alius comparari poterat, & hoc commune erat omnibus judicium: Montanus autem, quod cunctis videbatur, voce exprimens miraculo rei vel-ut attonitus, in hæc verba erupit. O formosissime pastorum, multimodis obligata est Elvinia illa tua, de quâ eximium hoc melos tantâ suavitate modulatus es, favori & Amori in se tuo; non solum ob hoc, quod à tantæ formositatis juvene, tam gratioso pastore, diligatur, sed quod Gratiæ porro ejus, & Virtutes, & Venustas, tam divino carmine à te commendatę sint. Cum vero ametur abs te tali, certò persuadere sibi & jure poterit, omnibus modis perfectam sese, & speciem, & Virtutem, tenere, quæ ut in ea accrescant, atque uti eis commodo suo & ex voto frui felicius possit, magnum ipsi adjumentum præstituram existimo Venationem, cujus studiis eam Dianæ æquare voluisti; Hoc enim Exercitium est nobilissimum, quoque non aliud magis augeat Venustatem & Speciositatē Nymphis, & puellis. Ipse Ego novi, in pago meo, pastorem quempiam, neq; is minus est notus Silvagio & Ismeniæ, hîc modo præsentibus, qui amore captus puellæ pastoralis,

lis,nomine Argiæ, nullâ ejus virtute magis incendebatur,quam ſingulari, quæ penes eam erat, ſagittandi, & arcum flectendi, dexteritate, & peritiâ; quæ tanta quidem perhibebatur, ut nullas non feras & volucres,quibus vellet, ictibus certò cõficeret. Ei argumento,idem Paſtor, vocabulo Olympius, nõ raro cantitabat carmen quoppiam,deſtinatum Dexteritati, & Formoſitati, nec minus tamen & Crudelitati, ejuſdem Virginis, fingens inter illam, & Dianam, & Cupidinem, certamen quoddam in Sagittandi felicitate, inventione admodum vernili & jucundâ,cujus quidem gratia me non piguit totum carmen ediſcere. Cum hæc diceret Montanus, prodit in medium Clenarda, dicens: Igitur non erit abſurdum nos poſcere ex te, uti participes nobis illam Olympii cantilenam, quæ tibi tantoperè placuerit. Certe mihi, ut de reliquis nihil dicam, nõ poterit res obvenire gratior, quam tale quid à te cantatum, audire, ſi volente te fieri poteſt, quæ tam ſtudioſa ſum eiuſdem exercitii, ut nullius alterius æqué. Aſſentiar tibi, reſpondit Montanus,ſi ſciam non futuram moleſtam cæteris hiſce cantionem meam. Et quomo-

do, excepit pro sorore, Polydorus, molesta esse cuipiam possit, quæ ab omnibus summâ attentione audietur? Ita, lyram suam arripiens, Montanus, carmen Olympii hæc in verba recinuit.

Convenêre olim, sua uti sibi facta probarent,
Arcum quis posset flectere dexterius.
Hinc Argia, meæ, lux & spes unica vitæ,
Hinc Amor, & Phœbi, Delia, sola soror.
His scopus, arboreo suffixum in cortice, telis
Quod peterent, nitidâ, Cor, fuit in tabulâ.
Deposuit Diana suam, pulcerrima, formam,
Libertatem Argia; Arcum, Amor, & pharetram.
Vicit mortalis, divûm duo numina, Virgo,
Fatorum inscripta est pugna ea Carminibus.
Sic habet hæc, Diana, tuam, pulcerrima, formam,
Arcum, Amor, & nimium certam adeo pharetram!
Vnde adeò crudelis, & est, Argia, venusta,
Crudelis summâ facta mihi in specie.
Vt miserum effigies mihi cor gravis exedat ejus,
Libertatem, & Opes, & decus omne, Oculus.

Hoc etiam carmine magnoperè omnes exhilarati sunt, amplius etiam Lepôre, quo illud cantitaverat Montanus, ferè incomparabili.

parabili. Exhinc, consideratis speciatim omnibus ejus partibus, & exactis ad limam strictioris judicii, unde multa disputandi materies increverat; cum videret jam, Felicia, Solem cedere in noctem, & arbitraretur, satis gaudiorum gavisos hospites pro illâ die suos, postquam, indicio facto, admonuisset omnes silentii, seque dicturam aliquid operæpretii, tranquillitatem maximam subitò fecit, sopitis jubilis, & festivitatis tantæ tumultuationibus, dehinc consuetâ & naturali suâ gravitate vocem gubernans, ita eosdem allocuta est. Pro verissimo habeo, Equites strenui, Pastoresque & Puellæ eximii, & egregiæ, vos, postquam in hanc domum meam convenistis, neque de Amore in vos nostro, neque de diligentiâ harum, ministrarum mearum, Nympharum, inserviendo vobis, quicquam, quod queri jure possitis, offendisse. Tantum vero desiderium meum fuit vobis officia grata exhibendi, & tale est, gaudium, quod apud animum meum concepi, videns tantæ æstimationis homines meo nomine aliquid hilaritatis præcipuæ percepisse, ut videar etiamnum mihi, licet majora & plu-

ra veſtri cauſsâ fecerim, facere quiviſſem nequaquam digna meritis, & virtutibus veſtris, in quopiam officiorum meorum, peregiſſe. Soli nunc de toto hoc ſodalitio, parum adhuc compoſitis animis ſunt, Narciſſus, ob aſperitatem Meliſææ, & Turianus, ob parem Elviniæ ſuæ inclementiam. His quidem ſufficiat pro tempore nunc conſolatio promiſſionis meæ, (cuius ſanè mos non eſt mentiri,) quâ illis, cum primum expediri negotium poterit, plenam & optabilem Salutem & Reſtitutionem polliceor. Nunc Eugerium video lætum ſuper filio ſuo, filiabus, & genero; optimâ quidem ratione: horum enim cauſsâ ipſe ſe tantis circumſeſſum vidit periculis, tantos mærores exhauſit, ut non potuerit maiores quiſpiam pati mortalium. Finitâ Antiſtitæ oratione, Eugerius, attonitus velut tantâ matronæ Sapientiâ, reliqui omnes optimè animis ſuis contenti fuere, gratias agentes ſalutaribus eius admonitionibus, quibus cautiorem in poſterum vitæ ſuæ ordinem inſtituere poſſent. Sic conſeſſu ſublato, quiſque pro ſe abſcedentem Feliciam ſecutus eſt in Palatium; ſinguli ſe dehinc

præ-

præſtitutis ſuis cubilibus intulerunt, animis iam præparantes, & iis præcipientes, futuræ diei feſtivitates, & gaudia: Quæ, cum iis omnibus quæ poſteà Narciſſo, Turiano, Tauriſoni, & Berardo, acciderunt, junctâ recenſione rerum geſtarum Dantei & Duardi, Luſitanorum, quas certis de cauſſis huic narrationi inſerere ſuperſedimus, cum aliis iucundis & utilibus hiſtoriis, tractabuntur ſecundo volumine huius operis; quod ipſum à paucis diebus, ſi Deo placuerit, publico etiam ſumus daturi.

FINIS.





